8
3-E
24

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
7
10 K
38

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

81-84-F-32
8-3.F.24

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

GALLIÆ DIGNITAS ADVERSVS PRÆPOSTERVM CATALANIÆ ASSERTOREM VINDICATA,

ſiue

DISQVISITIO LIBELLI, QVO LVDOVICVS MESPLEDVS, reiectis Catalaniæ vendicandæ veris legitimiſque momentis, eam ementito tantùm ac falſo titulo, contra Regiarum Tabularum & hiſtoriarum omnium fidem, vendicare Galliæ ſatagit; ſimulque præpoſteris illationibus ex figmento deductis, ac omni iuri & ſaniori doctrinæ contrarijs, pietatem ac memoriam Regum, & Regni famam gloriamque traducit.

Per F. IOANNEM NICOLAI, Ord. Præd. Doctorem ac Regentem Theologum Pariſienſem.

Bibliotheca Sec. Coll. Rom. Soc. Iesu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,
Apud GVILLELMVM SASSIER, viâ Reſtionum, propè Sorbonam, ad inſigne duorum Turturum.

M. DC. XLIV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google



EMINENTISSIMO PRINCIPI

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IVLIO MAZZARINI,

S. R. ECCLESIÆ CARDINALI.

EXCVSAREM *apud te liberioris ad culmen tantum acceſſus audaciam*, EMINENTISSIME PRINCEPS, *niſi & celſitudini ſummæ par humanitas tua culpam hic vllam exiſtimari prohiberet, ne vel rea eſſe ipſa debeat; & qualiſcunque tandem videri poſſit, neceſſariam tot momenta feciſſent. Non potui quin tam auguſto nomini tuo tantillum iſtud ſpecimen publicæ venerationis exhiberem; quod ſingulari quadam ſacræ affinitatis cum auguſtiſſimo ſimul ac ſuauiſſimo Principe ſuo communione coniunctum; quod piiſſimæ Reginæ-Matri, Regiæque Tutrici ac Regenti tam omnium votis optata, ob adiumenta fortunati regiminis tanta, tam charum; quod vniuerſo quà patet Regno tantis vtrinque rationibus tam ſpectandum, Principes ipſi ſuſpiciant, reuereantur cæteri, omnes ament. Non debui, quin publicam Galliæ cauſam datâ occaſione aggreſſus, te ſimul Gallicis rebus tanta illius fœlicitate prouiſum; te, commodis tanta genij pluſquam humani ſolertia prouidentem; te, rationibus tanta candoris tam ingenui fide, tam generoſi affectus ac zeli pietate, tam innata veluti atque inſita indolis propenſione addictum gratularer. Debui non magis tibi, cui nunquam Gallia ſatis reddat, quàm Galliæ, quæ nihil à te non expectet, nihil tibi non geſtiat exhibere, vt hæc* Eminentiæ tuæ *ſiue officia gratulationis illius exoluerem, ſiue momenta committerem vindicanda; quæ cauſa ſua defenſionem nullo tutiùs quàm patrocinio tuo niti; quæ decoris gloriæque ſplendorem nulla illuſtriùs quàm purpura tua atque ingenij luce fulgere; quæ ſua magnitudinis ac maieſtatis*

Digitized by Google

amplificandæ curam nullibi cautiùs quàm apud te deponi; vt nec amoris aut obſeruantiæ ſuæ ſenſum vlli iucundiùs in ſinum effundi poſſe, tot iam hactenus teſtimoniis declarauit. Nec dubitaui eum præ cæteris, cui & ſui ſummam iuris primariâ quadam Supremi Magiſtratûs authoritate permiſſam gratulatur, ſic affectum, vt cuius me ſingulariùs obſequiis obnoxium, ac beneficiis obſtrictum intelligo, non minimam officij erga ſe mei partem ipſe ſentiat, quamcunque à me tibi delatam, exhibitamque conſpexerit. Sed vel hoc ſatis fuerit Religioſæ illi familiæ debuiſſe, quam tuæ ſe protectioni permittentem amplexus, aliquam publicæ ſolicitudinis tuæ peculiarem eſſe partem ſingulari benignitate non refugis; Vt quod, illius tecto aduentitius hoſpes, dum tot inter turbines quietem aucupor, tam amanter exceptus, quodam eius afflatu conceperam, eius in ſinu formaueram, eius impulſu pene diffidens excluſeram, quia Religionis etiam intereſſe viſum eſt, quam delusâ primùm tam fallacibus fucis Galliâ veriſſimè illuſam ſubinde vellet mihi exploſus author, tuum id vel ipſius nomine intelligi oporteret, quæ tam auſpicato clientelæ titulo totam ſe tuam gratulabunda gloriatur. Mihi deberem, ſi nulli alteri, EMINENTISSIME PRINCEPS, *vt Authorem quia neceſſe fuit aggreſſus, qui obtendere tam infœlicibus commentis tam ominatum Regij miniſterij nomen auſit, aut conatibus tam indignis tam ſacrum numen prætexere non detrectet, non alio eum quàm te arbitro, iudiceque reuincerem; Nec alium huicce cauſæ vindicem aucuparer, in quâ vnâ & Galliæ gloriam Tutelaris tam ſecurus; & memoriam Regum tam* acceptus Miniſter, *quia tam* intelligens; *& legum apices tam æquus arbiter; & authoritatem Eccleſiæ tam ſacer Princeps; & Religionis integritatem tam auguſtus Cardinalis; & ſinceritatem veritatis tam ſagax genius, tam digno tot nominibus tãtis omine, à te ſimul intelligas vindicari. Hæc momenta ſcilicet in eo vno libello continentur, quem reuincendum aggredior; tantò æquiùs, quia tot momentis; tantò confidentiùs, quia tuo nutu; tantò neceſſariâ magis causâ, quantò ampliùs intereſt, ne tam apertam in re tam graui falſitatem, & Scriptorum omnium corruptelam velut è ſinu ſuo prodeuntem diſſimulaſſe Ordo videri poſſit, qui veritatem peculiari quodam officio profitetur; Atque id quidem aggredior, vt Catalaniæ cauſam, quam falsâ tantùm hypotheſi niti velit, eo ipſo euerti: vt innocentiam Galliæ, quam defendi niſi veriſſimâ S.* LVDOVICI *tranſactione pernegatâ poſſe non putat, eo ipſo prodi: vt Regum gloriam, quam ex illo figmento ſolo ſuo illuſtrari confidit, eo ipſo fœdari non patiar: Et quod ſtoliditati ac ſocordiæ tribuit, fuiſſe in* LVDOVICO *Sancto prudentiſſimæ pietatis; quod perfidiæ ac ſacrilegio, fuiſſe in* PHILIPPO *ſinceriſſimæ Religionis; quod fortitudini tantùm ac fœlicitati, non iuſtitiæ,*

fuiſſe

fuiſſe in LVDOVICO IVSTO æquiſſima defenſionis oſtendam; Nec permittam, vt hoc ſolo reiecto, quod repugnantibus tabulis, ac deprauatis teſtimoniis omnibus explodere ſolus audet, Galliam cum tantis Regibus ſuis facere contendat innocentem. Fœlicioris auſpicij mei fuerit ſi, vt ambigere ſine iniuriâ tui non poſſim, benigniùs exceperis, quod ſecuritatis de te fuit, vt tam confidenter offerrem; quod ſinceritatis in Galliam, vt non fucatum exhiberẽ; quod venerationis in Regem, vt ad Parentũ eluendas maculas exararẽ; quod obſeruantiæ in Regnum, vt illudi non ſinerem; quod amoris in veritatem, vt nec illam traduci atque obrui paterer; quod neceſſitatis in meipſum, vt iſta nunc maximè quæ argumento ſuo videri à me aliena fortaſſe poſſint, alieno velut impulſu excitante profunderem. Erit, ſi priuata tranquillitas & adiumenta cum Deo publica dederint, vt conſentanea mihi magis non in Galliæ ſolùm ſed Eccleſiæ obſequium, vtinam & in vſum aliquem ac profectum! effundam. Ita ſibi tam non vanè deſpondeat, quàm veriſſimè tibi fortunata omnia, per te Regno, per auſpicatiſſimam Regni adminiſtrationem Gallis omnibus, per pacatiſſimos Gallorum fines & obſequentiſſimam ſeruitutem, auguſtiſſimo Regi Regiæque Parenti, cum diutiſſimis regiminis ac Regni annis, quo poteſt voto, affectuque deſpondet

EMINENTISSIME PRINCEPS,

Humillimus, obſequentiſſimus, ac deuotiſſimus Eminentiæ tuæ ſeruus
F. IOANNES NICOLAI
Prædicator.

E tuo ſuburbij San-Germani Conuentu.

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII.

CHRISTIANISSIMI Regis Priuilegio ad octauam Ianuarij diem Anno 1644. indulto permiſſus eſt excudi liber, *Galliæ dignitas vindicata*, &c. inſcriptus, poſtquam eum ſyngraphâ ſuâ Illuſtriſſimus Præſes PETRVS DE MARCA probauit, non modò vt nihil iuribus Regijs aduerſum continentem, ſed id opportunè agentem, vt Galliam cum Chriſtianiſſimo Principe ſuo comparata ſibi iura mendacijs tueri & aſſerere nolle oſtendat. Eodemque Priuilegio cautum, ſub ijs pœnis quæ in Originali Diplomate continentur, ne quis illum ad ſeptennium præter conſenſum Authoris excuderet; Qui ſubinde conſenſit per GVILLELMVM SASSIER, Typographum Pariſienſem, edi poſſe, ac diuendi.

Digitized by Google

PRÆMONITVM ÆQVO PRVDENTIQVE LECTORI.

PRODIRE in hoc Opere animus non fuit, ſed nec prodi. Non erat fortè cur puderet lucis, vt nec falſitatis pudebat, niſi quam euinco tam multiplicem in eo Scriptore quem refello. Latebras aliæ cauſæ ſuadebant, ſi veritas pateretur. Pigebat, liberiùs hominem ſtringere, cuius conditioni libentiùs pepercisſem. Vix refelli aliter potuerit, qui tantâ oſtentatione tam inania ſcriberet; qui tam falſa vellicatis omnibus aut eluſis tantâ confidentiâ venditaret; qui Regum æquitatem & gloriam ſoli figmento committeret vindicandam. Id præſtari à me minùs oportuiſſe videri poſſit, quem eiuſdem ſortis communio retineret, ſi agnoſcerer. Satis fuerat innotuiſſe rerum arbitris; non vt gratiam ambirem, quam nec mereri me confidam; ſed ne cenſuram, ſi quam demereri viderer, effugerem. Erumpendum tamen vel inuito fuit, quem latere cauſa ipſa latendi non permiſit. Viſum, intereſſe vt refelliſſe intelligamur, quod videri potuimus diſſimulando probaſſe tam ab omnibus improbandum. Viſum, nihil obeſſe, vt vel à nobis liberiùs interdum vellicetur hoc demeritus, qui nec vellicare tot alios tam immeritò dubitarit; Quin ſatius eſſe, vt (quod olim quiſpiam) *malè is audiat, quàm nos ipſi*; etſi peius aliud abſit vt velim contigiſſe. Viſum & illud prodeſſe, vt non immunis abiret illuſio Galliæ, quâ illudendæ Religioni præiuiſſet. Huic aliorum nutui cedere neceſſitas impulit; nec reluctari potuit indoles, quâ libenter veritatem amplector, vndecunque ſe prodat; auerſor falſitatem, vndecunque irrepat; nec minùs è domeſticis etiam laribus erumpentem. Erit fortaſſe qui non probet; Improbabit opinor nemo, nec indecorum cauſabitur, qui rem totam expenderit. Excuſabit ſaltem culpam, quam neceſſitas extorſit; nec putabit indignam veniâ, quam eluctari vix licuit; Et eò magis, quòd vt eum inſectër aliquando acriùs, manum ſtringo non animum; ſiue imprudentiam ſcribentis excutio, non perſonam. Nec his deinceps irretiri me velim quæ vix non aliena; iis potiùs occupandus, vbi Deus dederit, quæ videri debeant magis mea. Non tam parturiſſe iſtud elaboratò videar, quàm fudiſſe; nec minima tamen omittens, quia coëgit.

GALLIÆ DIGNITAS

ADVERSVS PRÆPOSTERVM Catalaniæ aſſertorem vindicata.

SECTIO PRIMA.

SVMMA DISQVISITIONIS TOTIVS; ET eorum, quæ paſſim in præpoſteri Scriptoris libro, vel falſitatis aut impoſturæ; vel erroris aut praui dogmatis; vel contumeliæ in Reges, & iniuriæ in Galliam conuincendæ, diſquiruntur; quantumuis incautè ſcribi potuerint.

CAPVT PRIMVM.

Quàm interſit Galliæ in eum librum inquiri; ac malè feriatam ſcriptionem abdicari ab illa, & illius nomine reuinci.

NON vereor, ne in ſacratiora Galliæ iura peccem, aut vnus quiſpiam ex ijs videri poſſim, quos Hiſpanienſium Scommate tam frequenti, velut ſtigmaticâ notâ, inurere LVDOVICVS MESPLEDVS, tam feſtiuè ſibi blandiens geſtit; dum ea excutere confidenter aggredior, quæ in ſuo de CATALANIA GALLIÆ VINDI-

Digitized by Google

CATA, (vt loquitur) libellulo tam inaniter iactabundus effutit; ac velut noui arcani præco plenis quaſi buccis eructat. Ita potiùs exiſtimaui, quod & mecum ſtatim oculati Lectores intelligant; non ad mediocrem tam florentis Regni dignitatem & gloriam; non ad infimam Chriſtianiſſimi Regis, ac piiſſimæ Reginæ-Matris-Regentis exiſtimationem & famam; non ad minimam ac poſtremam prudentiſſimorum Statûs Adminiſtrorum, quibus fallaci ſpecie inſcriptionis illuſis pompaticum illud opus nuncupat, integritatem & æquitatem pertinere, ne indiſcuſſa figmenta remanerent, quæ aucupato fraudulenter in re tanti momenti eorum nutu,& vſurpato nomine promulgauit: Intellexi, quantum ad publicam obtrectandi materiem intereſſe Scriptum hoc potuit; ab authore quidem non admodum, ſi ſuo tantùm (vt eſt) afflatu loquutus credi poſſit; ſed aliunde tamen, quia Regio ſubreptim nomine prænotatum; in quo tàm grauis cauſæ diſceptationem, impoſturis dumtaxat & mendacijs, aut vmbris & ſomniis tueretur; tantum etiam ſimul intereſſe, vt eam defenſionem tam ineptam, & exterorum obtrectationi tam facilè peruiam ac patentem, domeſticus interim ſtylus anticipatâ cenſurâ configeret; Cenſui non indignam hîc amore patrio à me operam collocari; ſi quantam in Principes noſtros iniuriam ex malè feriato illo commento redundare neceſſe eſt, dum iuxta illius fidem vel ementito prætextu, vel nullo iure Catalaniam vendicant, aut vendicare iam antea ſategerunt; Quantam in LVDOVICVM olim ſanctum, qui ſuo non dignus nomine; in Philippum filium, qui paterno ſanguine indignus; in LVDOVICVM IVSTVM, qui nonniſi palàm iniuſtus, abſque præſtigiis iſtis, & reuincendâ in faciem apertiſſimâ falſitate, videri tam egregio vindici poteſt; Quantam denique in totius Galliæ probrum, quæ nec illi alioqui abſque iiſdem præſtigiis eſſe innocens ab occupatâ Catalaniâ poſſe creditur; Eam totam, diſpulsâ tanti erroris tam craſsâ nube, amoliri contendam. Ac intereſſe quidem illud eo maximè intel-

lexi, vt & Gallici nominis hoſtes intelligant, ſi ad eos fortè diſceptatio iſta peruenerit, improbaſſe per ſuos Galliam & exploſiſſe, quod exprobrare ipſi ac ridere in tam infœlici patrocinio poſſunt; & quicquid hac in parte tam inauſpicatò tentatum eſt, totum id otioſè negotioſi hominis ludum ac tricas eſſe; non cauſæ momenta, de qua cum illis tam acri conflictatione contendimus. Quin etſi nihil ad publicam Galliæ dignitatem intereſſe omnino, vel nullum inde in illam reflecti poſſe probrum publicum videretur: ad veritatis tamen candorem intereſt, ne mendaciis offundatur; intereſt ad inculpatam fidem ac ſinceram, ne adulteretur impoſturis; intereſt ad genuinum & planum de re tantâ iudicium, ne præſtigijs aut erroribus peruertatur; intereſt & ad priuata multorum arbitria, quibus aliquæ in eâ causâ verſandâ partes obtigerunt, ne ſenſus illorum deprauetur; ne illudatur induſtria; ne ſinceritas traducatur: Dum id omni ex parte Scriptor præſtat; ſolas vmbras perſequitur; ſola venditat mendacia; ſolas & authorum ſimul & rerum deprauationes obtrudit; Dum nouum inuentum ſuum tam magnificè oſtentat, vt audere ſe primum glorietur, quod alius nemo potuerit; Dum id ſuis diuinationibus & coniecturis agit, vt cæteros, quotquot hactenus extiterunt, rerum Gallicarum vel curatores & arbitros, vel hiſtoricos ac Scriptores, aut hebetudine nimiâ cœcutiſſe; aut incuriâ ſaltem, niſi malâ in Regnum fide, nutaſſe; aut ſui obliuione deſipuiſſe ac deliraſſe oportuerit; quò ſolus in tam publicâ causâ Meſpledus intra cucullum politicè ſapiat; ſolus excogitet, vnde Galliæ famam vindicare ſecuriùs ac tueri poſſit; Dum nihil minus interim quàm velut ex Tripode oracula fundere ſibi videtur, quantum intelligi paſſim ex oſtentatione tantâ poteſt; Quaſi iactatus toties alterna inter Sophos olim ſeptem circumuolutione Delphicus tripos in hunc vnum tandem videri debeat conſediſſe.

CAPVT SECVNDVM.

Quàm fallaces titulos illuſoriæ ſcriptioni obtendat; & quàm fucatis nominibus authoritatem ſibi ac fidem aucupetur; quibus primo ſtatim aſpectu decipi promptum ſit.

QVEM enimverò pollicitatio tam præfidens, tam gloriabunda oſtentatio, & vel ipſa epigraphe tam ſpecioſa non falleret? Sanè vbi primùm in hanc vnam incurri, quæ CATALANIAM GALLIÆ VINDICATAM præ ſe fert; quæ *Diſſertationem hiſtoricam* ſpondet; quæ nudam *aduersùs Hiſpanienſium*, vt vocat, *impoſturas*, enarrationem profitetur; arbitrari mox ego quàm certa ſcriberet; nihil minùs credere, quã quòd in cauſa totius Regni ſcribere tam audenter ac tam publicè falſa vellet, qui redarguendas hoſtium impoſturas videri vellet ſuſcepiſſe; ſuſpicari fortunatum ac fœlix auſpicium, quod CATALANIAM GALLIÆ tam tenui ſumptu ac ſtylo, & vel ſolo Scriptoris vnius ac Typographi ſudore, ſine militum ſanguine, improuiſis iuribus vendicaret; Exultare, gratulari, geſtire; totus pene in amplexum illius ac venerationem effundi, qui tam boni ominis in publicam vtilitatem & gloriam videretur; Archimedem videre mihi videri, machinas ipſas orbis & ſitus pauculis digitis dimouentem; ac diſſertationem illam, qua tam facilè nouam Prouinciam Regno tam ſecurus aſſerit, AMPHIARAI TELVM putare, quod ex Aquilinis excuſſum vnguibus ac dilapſum, ſolâ ſui defixione in terram lauros illicò nobis & palmas germinaret. Vbi rurſus coniectis in authoris tam ominati nomen oculis, & in vtramque illam quâ ſe inſcribit, ANTECESSORIS CADVRCENSIS, ac PROVINCIALIS OCCITANI dignitatem inflexis, eum aduerti relicto poſt tergum Anteceſſoris officio, & intermiſsâ ſui regiminis tam neceſſariâ curâ in hanc interim vnam velut

Digitized by Google

velut ſuo munere ac genio digniorem incumbere voluiſ-
ſe, vt impoſturis hoſtium obducta legitima Regni jura
detegenda ſuſciperet; Vbi deprehendi hoc eum fine à
Prouincia curæ ſuæ credita tandiu iam extorrem, in
obſeruantiſſimo quem prænotat ipſe Conuentu nihil ad
ipſum pertinente, apud hanc Pariſienſem ciuitatem ab
ineunte hyeme ad hæc vſque progreſſa iam longiùs Au-
tumni tempora commoratum; Vbi poſtremò, quod ca-
put eſt, excurrente longiùs acie virum inſpexi, qui *ſe* In Epiſt.
totum Regi & patriæ conſecraſſet, non alio vllo impulſu nuncupat.
quàm *Regni amore, ac Regis imperio*, adactum eſſe, vt
cauſam hanc ageret, atque *hoſtes perduellionis reos eſſe
demonſtraret*, qui *Catalaniam legitimis*, inquit, *ereptam
Dominis, tamdiu captiuam oppreſſerint*; Nec aliam ei *ſcri-* In Monit.
bendi cauſam fuiſſe, quàm *Veritatem primùm*, ac deinde ad Lect.
Regum noſtrorum gloriam, quos *diutiùs in criminis cu-
iuſquam ſuſpicionem vocari* non ferebat; Non potui, quin
de tam inſigni partu magnificum aliquid cogitarem,
quem tantæ vir authoritatis, velut alterius negotij om-
nis ac ſui ipſius immemor, toti Regno tantâ pompâ &
apparatu deſtinaſſet; concepiſſet Regni tantus amor;
tanti Regis imperium parturiſſet; tanta menſium inter-
ualla formaſſent; tanta ſolertia & ſedulitas neglectis
proprijs abſoluiſſet; excluſiſſet tanta ſecuritas & confi-
dentia; quæ *laboris moleſtias*, inquit, *veritatis agnitæ
voluptate fefellerit*; tantus denique tam immenſùm eni-
tentis ac tam diuturnus conatus edidiſſet. Quantò &
illud maius, quod eam quoque mihi tam magnificam
de conatu illo tanto mentem augeret: vt quam *abſterge-* In Epiſt.
re maculam Regno *pro Catalania in clientelam recepta* deſ- nuncupat.
pondet, *eluere conati ſint*, inquit, *multi; ſed infæliciter
tamen omnes; Nouam verò ipſe defendendi iuris noſtri ra-
tionem inierit, quæ hoſtibus infamiæ plurimùm inureret*; ac
Regni & Regum noſtrorum gloriam fæliciùs tueretur! Quan-
tò maius, quòd eam à ſe primùm initam rationem *tot &
tam claris euincere ſibi videatur argumentis*; *vt ſi cau-* In Monit.
ſa, Rota Romana, aut cuiuſcunque alterius SENATVS, ad Lect.

qui deterſis partium ſtudijs ſincerè rem expenderet, ſuffragijs, iudicioque permitteretur; non dubitet, quicquid in contrarium ventilari ac venditari ſolet, *flammis vltricibus addicendum!* Quantò maius, quòd non aliter excuſari iactat poſſe; quin S. LVDOVICVS, vel tandem aliquando *ſtolidè ſua dimiſerit*; vel iam ante *contra fas occupauerit aliena*; Quin PHILIPPVS TERTIVS eius filius *contra iuratam à ſe ſimul cum Patre fidem, & contra ius gentium, fæderiſque ac Sacramenti Religionem peccauerit*; Quin LVDOVICVS ÆTERNÆ MEMORIÆ IVSTVS, cùm *ſe dedentes* CATALANOS *in clientelam ſuam recepit, aliquo ſeſe crimine vnà cum illis obſtrinxerit; quod vtriſque fœdam æternæ ignominiæ notam inurat!*

Num verò tanta palàm, tamque magnifica iactitantem, aut exiſtimari à me parum ſanæ mentis oportuit, ſi non explorata ſibi & comperta certiſſimè, tanto faſtu oſtentare, ac tam impotenti fiducia ſui polliceri præter omnium ſenſum auderet; aut inuſitatum de illo ſenſum concipi; qui ſe publicè reciperet præſtiturum, quod in tam graui momento; in vindicandis Regni iuribus; in iniurijs Regum amoliendis; in agenda communi totius Galliæ cauſa nemo alius præſtitiſſet; nemo è tot claris, vt agnoſcere ipſe non dedignatur, ac eruditis viris; tam ſua ipſorum dignitate longè magis quàm illius elogio ad celebrioris triumphi ſui ſpecimen oſtentato inſignibus; tam inſigniter in omnia Regni decora propenſis; atque omni Gallicarum rerum peritiâ tam copioſè inſtructis, præſtari à ſe crediḍiſſet potuiſſe.

CAPVT TERTIVM.

Quàm vanè ſibi deſpondeat arcanum hac in cauſa quidpiam, quod Gallis omnibus non hiſtoricis tantùm, ſed Politicis; & ipſis quidem Regij ſtatus Adminiſtris ignotum, primus excogitare potuerit; imò quàm temere affingat omnibus, quòd Regni cauſam à ſe ſolo defenſam contraria inuento ſuo ratione prodiderint.

SENTIRE planè de illo alterutrum debui; & qui non alterum ſtatim auderem, ne viderer iniurius; in alterum pene procliuem, propenſumque me ſenſi, vt æquum vtrinque me præſtarem; Nempe ita propemodum arbitratus, vt quod ſæpe contingit non occurrere omnia omnibus, quorum eſſe occultiores rationes & monumenta præſtat, fato quodam in eiuſmodi aliquid incurriſſet, quod contigiſſet ab aliis alia percurrentibus non aduerti. Fateor tamen, hærere interim animo cogitatio illa cœpit, & opinor non imprudens, quinam contingere tam bonis auibus ac tam fœlici Mercurio potuiſſet, vt occurreret illi tam facilè inter clauſtri & cellæ rimas, ac tam eſſet in promptu tam noua ratio defenſionis; quæ verſatiſſimos in foro viros; quæ identidem in Palatio, & in Aula verſantes; quæ Conſiſtorij ſacri Comites, Curiæque proceres & aſſeclas; quæ arcaniorum Regni conſiliorum conſcios; quæ dirimendis promouendiſque præcipuis, & grauiſſimis publici boni negotiis indefeſſo ſtudio incubantes; quæ hiſtoricorum omnium oculos, conquiſitis licet vndecunque hiſtoriæ ſuæ monumentis, & vel ipſis Regijs adytis ac receſſibus penitiſſimè inſpectis luſtratiſque præteriſſet. Ac mirari ſubinde non mediocriter ſubijt, ſi tam neceſſaria qualem ſæculum hoc noſtrum tulit occaſione oblata, quæ aut iura Galliæ vindicare, aut excuſare vrgeret iniurias, & calumnias

Digitized by Google

amoliri; nemo inter illos tamen multos, quos id conatos eſſe profitetur, ſatis diligens fuit vt perueſtigaret; ſatis induſtrius vt exploraret; ſatis fortunatus & fœlix vt nanciſceretur; ſatis oculatus vt videret; ſatis prudens vt euulgandum putaret; ſatis fidus in patriam & procliuis, vt & reipſa demum euulgaret, quicquid ad Regum noſtrorum ac Regni ſeu tuendam gloriam, ſeu eluendam labem ac maculam pertinebat. Subijt obſtupeſcere vehementer, ſi CATALANIÆ ceſſionem IACOBO ARAGONVM REGI à SANCTO LVDOVICO tranſactione mutua factam, quæ ficta tamen & falſa eſſet, admittere omnes impune potuerunt, quo maxime tempore inficiari debuerant, ſi liceret; ac nemo ab ijs admiſſam, quamuis tanto quantum ipſe præſumit, Regni probro ac diſpendio, caſtigauit; Subijt ſtupere, quidni tam apertam, vt ſibi fingit, impoſturam illius & falſitatem apud ipſos Catalanici belli buccinatores, quibus id maximè, ſi vel aliqua veritatis vmbra pateretur, cordi futurum erat, ſibi vnquam induxerint aggredi conuincendam; ſed nihil minùs tot Apologeticis in ea cauſa editis egerint; ſed aliud omnino præſtiterint; ſed eam tranſactionem vno conſenſu conceſſerint; & aliunde ſibi aucupanda defenſionis argumenta crediderint; Verſare velut attonita mente ſubijt, cur non ex eorum hiſtorijs & Annalibus, qui eam paſſim vt indubitatam aſtruunt, eraſum ſaltem & expunctum eſt, ſi confictum videri tam certò debeat, & probari tam clarè falſum poſſit, quod Hiſpanienſibus interim, vt accuſat, impoſturis tantopere faueat, & Gallici ſplendori nominis tam inſigniter aduerſetur. Nec ſtupere ſatis putaui poſſe, ſi tam effœta, tam hebes, tam ſui iuris ignara, vel honoris & commodi negligens Gallia, qualis facilè per Meſpledum audiat; vt expectandus ex Occitania poſtliminio fuerit, qui ſolus eam iuſtè ſatis ac fœliciter tueretur; qui veluti baculum laureum portans, hanc vni ſibi victoriam Dijs hominibúſque plaudentibus deſponderet; qui nouis excogitatis vindicijs inficiari ſolus auderet,

deret, quod ab omnibus admitti non abnuit; quin potius quàm plurimùm, vt eo ſibi ampliùs blandiatur, oſtentat; qui primus accuſare falſitatis rem apud omnes conceſſam auſus, in ea vnâ inficiatione totum tantæ cauſæ momentum collocaret; Tam ſecurus interim, vt CATALANIAM ſolus & GALLIAM, quam vtramque ream cæteri faciant, hac arte demonſtret innocentem; Tam auſpicatus, vt Reges à dedecore primus & crimine liberet, quos vtroque implicent cæteri aut aſpergant; Tam rationis tenax, vt *Hiſpanienſium præſtigijs* deludi ſolus non potuerit, quæ deluſerint cæteros; Tam iuris integer vt aduerſantia ſuo ſenſui cęterorum commentaria non ſtylo tantùm ſuo configenda deſpondeat; ſed breui quæ tam acutum deceat iudicem ſententia & Areſto, publicis etiam ignibus ac vltricibus flammis addicenda decernat.

CAPVT QVARTVM.

Quot, quantiſque falſitatibus, mendaciis, erroribus, impoſturis, veritatis & iuris deprauationibus; figmentis hiſtoricis, præpoſteris dogmatibus; adulteratis Authorum teſtimonijs, & contumelioſis in Regum pietatem illationibus ex illius hypotheſi quamuis præter mentem conſequutis, diſſertationem illam ſuam omni ex parte reſperſerit.

SVSPENSVM vtrinque animum librare ambages illæ fortaſſe potuerint, ſi hærere tantùm in limine placuiſſet; aut promiſſis tam grandibus, qualia præter omnium ſententiam oſtentat inſiſtere; vt quæ tam inflatè iactari viderem, non inania ſuſpicarer. Sed enim poſteaquam in ipſam argumenti tractationem excurri, percurrique tandem totum id, quo tam inuictè ſibi videtur, ac tam inſigniter pro Regum noſtrorum tuendâ gloriâ de Hiſpanienſibus triumphat, carere me ſenſu opor-

teret, ſi deinceps in illius operis iudicio dubius eſſe poſſem; in quo nihil non æquitati & iuri: nihil non ſinceritati & candori; nihil non veritati & rationi; nihil non Religioni Regum & pietati; nihil non ſanæ menti ac doctrinæ contrarium deprehendi a me contigiſſet. Quippe aduerti eum pernegato perſtrictè vero iure, quod in Regibus ex bello iuſto comparatum totus orbis Chriſtianus agnoſcit, fictitium ementiri quod omnes abnuant; & Galli quidem; Vidi eum, qui ceteros omnes accuſet, quòd infœlici conatu *integra iura Regis Hiſpani ſeruarint, quia nec noſtra defenderunt vt par erat*; hoc ipſum interim tam infœliciter & inſulsè præſtare, vt ex malè ominato illius commentario relinquatur; non *iuſtitiæ* tantùm *& magnitudini ſuæ indecora*, ſed *ſapientiæ ac Religionis indigna* geſſiſſe LVDOVICVM ÆTERNÆ MEMORIÆ IVSTVM, quando ſibi CATALANOS vltro deditos vendicauit; Dum ſcilicet ſtante SANCTI LVDOVICI de CATALANIA pactione certum id eſſe vult, *vera eſſe in eam Regis Hiſpani iura, quibus impares nos eſſe oporteat*; Et eorum nihilominus veritatem tantò certiùs in progreſſu aſtruit, quantò cœciùs & incautiùs per illos ipſos euincere ſibi videtur falſitatem, qui tam temerariam eius inficiationem peremptoriè apertèque conuincant. Vidi eum, qui *Regias maculas eluiſſe magnum ſui laboris præmium putet; ſed maximum, ſi bonis omnibus placeat*; (Maius maximo non temerè ſuſpicer quod animo repoſtum non exerit) hanc inurere quibuſcunque Regibus tam deformem, vt iuſto capta bello & tunc primùm occupata vendicare ſibi iure non poſſint; Proptereaque *fortis potiùs ac fœlix quàm iuſtus Princeps* exiſtimari LVDOVICVS debeat, quòd eo titulo CATALANIAM occuparit, niſi alijs iam anteà titulis vendicatam; *Ac teterrimi author exempli* eo ipſo videri fuiſſe poſſit; *Et præiudicium in Maieſtatem tuliſſe quam defendit*. Vidi eum, qui nonniſi veritatem, vt videri vult, ſpiret, ac in veritatis gratiam, ſi quid illi creditur, ſcribat; ita illam paſſim neſcio qua

In Epiſt. nuncupat.

In Monit. ad Lect.

In Epiſt. nuncupat.

In Monit. ad Lect.

In Monit. ad Lect.

Digitized by Google

conſcientia vel inſcitia prodere, vt vel obuiam prætereat; vel apertam diſſimulet; vel conuinçentem & compertam eludat; vel negligat in omnium oculos incurrentem; & ſibi quoque, ſi oculatiùs quæreret, occurſuram: Vtque affictâ illis ipſis, quos maximè diuinationum ſuarum iactat authores, mente, proprijs eorum commentarijs euidenter aduerſâ, & in tranſuerſum acto ſenſu; videri velit ab ijs negata quæ aſſerunt; aſſerta quæ pernegant; *altiſſimo* diſſimulata *ſilentio*, quæ apertiſſimè referunt; ſatis manifeſtè perſuaſa & conuicta certiſſimè, quæ maximè omnium ſuo teſtimonio reuincunt, improbant, diſſuadent: Quaſi non aliud videatur egiſſe, quàm vt aut incurius earum rerum, quas tractat, & imperitus omninò; aut adulterator & falſarius haberetur. Pag.70.

Quid quòd illum vidi, qui nihil minùs quàm demonſtraturum ſe ſpondeat, quamcunque ſibi fingere commentationem potuit; qui commemoratæ tranſactionis falſitatem *tam claris euincere ſibi videatur argumentis*, vt vel ROTAM ROMANAM in Hiſpanos accendat; qui noſtrates Hiſtoricos vt non idem ſecum ſentirent aut ſcriberent, *Hiſpanienſium præſtigijs deluſos* conqueratur; qui *acerrimam indaginem*, velut ex CONSTANTINI præſcripto *ad examen falſi expendendum inſtitutam, argumentis, teſtibus, ſcripturarum collatione, alijſque veſtigijs veritatis* faciendam ſibi proponat; Illum vidi adulteratis teſtimonijs omnibus, corruptiſque ſcripturis, *in ſuſpiciones* demum & *coniecturas*, aut *præſumptiones* & *indicia*, vt ipſe deinceps toto libelli decurſu perpetim vocat, ſed in ſomnia potiùs & illuſiones, euaneſcere totum ac effluere; atque id vnum efficere, vt hoc ſolo SANCTVM LVDOVICVM non pepigiſſe conſtet, quia Ludouius Meſpledus diuinauit. Et quod nemo ſatis, aut miretur, aut credat; illum vidi non alios velut non initæ pactionis vel tranſactionis non factæ proferre teſtes, vt initam neget aut factam, quàm qui datâ operâ,

In Epiſt. nuncupat.

In Monit. ad Lect.

Pap.70.

quaſi iam tum refragari negaturo voluerint, diſertiſſimè factam affirment? Quid quòd illum, *cui præſumptiones* In Monit. ad Lect. *ad ſuſpicionem falſi tanto numero & tam graues occurrerint, vt relegentem ipſum exterruerit voluminis magnitudo*; Cui propterea *ſingulare viſum ſit, ſi diſputationem immenſam in Compendium quoddam contraheret*, in eoque *præcipua tantùm capita delibaret*; ſeu *Breuiarium*, vt loquitur, *litis immenſæ porrigeret*, in quo *certi iam olim iuris momenta ipſi* Status Adminiſtri *agnoſcerent*; Cui tam ſingularia velut ad iſtam CATALANIÆ vendicandæ cauſam conficiendam præſtò eſſent, vt *è centonibus antiquarijs* eam inſtruere, vel *de veteribus & obtritis nouam facere noluerit paraturam*; Illum ipſum vidi, arreptis vndequaque lacinijs, permixtimque confuſis, ita rem totam confeciſſe; vt è centum circiter Breuiarij tam elatè ab illo decantati pagellis totas omninò ſexaginta priores in vanis apicibus ventilandis fruſtra detriuerit; aut in antiquo illo iure aſtruendo inſumpſerit, quod nec hoſtes aliquod extitiſſe detrectant, dum ſubinde abdicatum contendunt; Reliquâ verò tantillâ parte, qua ius illud continuatum ſemper nec abdicatum vnquam attexit, in congerendis ad id, vt putat, euincendum præſtigiis meris operam luſerit; vtinam dumtaxat otioſam! Quid quòd vno verbo eum vidi, qui confidentiâ tantâ omnes laceſſens, præconceptam ſibi de omnibus victoriam buccinet; qui chartaceis telis Hiſpanienſes conficiat, In Monit. ad Lect. vt ſe paſſim conficere gloriatur; qui ad illuſtriorem præſumptæ iam victoriæ teſſeram propria ipſorum tela librare ſe in illos iactet; Vidi eum ita confodi ſuis, vt ea in ſe vnum intorſiſſe videatur; ita configi alienis, vt ſeipſum infœliciùs torqueat, dum ea excutit ac retorquet; ita exteris concuti, vt ne admouere quidem propiùs auſit, quò inflicta excipiat; ita futilia paſſim ac debilia ſpargere, vt vmbraticâ illum velitatione ludere hoſtes, non ſeriò lædere voluiſſe dicas; Ac ſic extra campum pugnare, vt ſi ex tam faſtuoſo apparatu exotica omnia & parerga detraxeris, vix vbi hærere poſſis, occurrat;

Digitized by Google

currat; & nihil planè quo tantæ cauſæ defenſio niti poſſit; imò, quo non poſſit euerti. Atque vt hæc aduertere me omnia contigit, magnificum illud opus qualicunque ſtudio licuit, euoluentem; indolui ludificari Galliam laruis, quarum obiectu non frontis gloriam tegat, ſed venuſtatem deturpet; inſtrui telis quibus oneretur ad perniciem & opprobrium, non quibus ad victoriam & incrementum decoris adiuuetur; falli figmentis, quæ leuem ſi credat arguant, non fœlicem probent; Ac tam ſeriam tam grauis cauſæ defenſionem ferre non potui tam ineptè ſuſceptam, vt qui ſe illius vindicem exhibet, præuaricator videri voluiſſe cenſeri poſſit, non patronus; & Galliam aduerſariorum ludibrio deuouere maluiſſe, quàm vt illius famam & exiſtimationem ab eorum obtrectationibus vindicaret.

CAPVT QVINTVM.

Quàm ſui oblitus videatur, vt proprijs muneribus intermiſſis, tam alienum à ſe obiret; præſertim tam indigna tractatione ac methodo, inter tantas licet noua artis oſtentationes, exequendum.

ET Galliæ quidem indolere debuerim, quòd ab illo tam malè habita, dum eius tamen vindicatæ gloriam ſibi vni tam fidenter vſurpat: Indolere veritati, quod ab illo tam crebris interpuncta mendacijs, ac tam indignè lacerata; dum vni ſibi perſpectam, & à ſe vno detectam profitetur: Indolere Ordini, cuius amplectitur inſtitutum; quòd ab illo, dum tam verax videri geſtit, iſtâ fraude traductus. Rideat, credo, alius oſtentationem & fiduciam tam inanem: Rideat bullatas ineptias velut ampullaceis verbis tanto faſtu iactari; quæ vel flatu in auras euaneſcant; Rideat Coloſſum tantâ pompâ tam ingentem erigi; ſed fumeum; qui hebetet oculos non illuſtret; ac euanido vapore ſpem fruſtretur; non magnitudine fulciat; Rideat tam obuium Regno ac tam

Digitized by Google

præſens aduerſus Hiſpanos auxilium tam ſecurâ confidentiâ deſponderi; ſed ficulnum, quod vel nomine ſuo ſenſum pollicentis indicet, non & eius cui defertur aut dignationem deceat aut vindicet dignitatem: Rideat & miretur tam otioſum in tam negotioſo tractatu futilemque conatum! Quis enim non rideat, non miretur, non id ſecum reputet ac reuoluat? Tanti-ne hoc operæpretium Regno præſtari fuit, vt eam ob cauſam Anteceſſorem Cadurcenſem tamdiu à ſchola seceſſiſſe; aut Prouincialem Occitanum ſui regiminis oblitum tanto temporis & locorum interuallo ab officio diſtaſſe oporteret? Adeo-ne illi à gemino munere vacauit; aut vtroque tam parùm digna curarum incitamenta & ſtudia occurrerunt; vt maior Clauſtri ac Scholæ anguſtijs genius ad politica negotia, ſui carceris impatiens, tranſuolaret? Quaſi non ſatis haberet inſpicere, quæ vel maximè ad eum pertinerent, aut

Ædibus in proprijs, quæ praua & recta gerantur;

Niſi & pennas nido maiores explicans in ſemota ferretur; ac vltra peram & ſepta proſiliens, alienam ſibi Prouinciam depoſceret exequendam. Si vel id ſaltem rectè præſtaret! Si veritatem quam præ ſe ferre videri vult, cordatè ſinceréque proferret! Si non eum in illis ipſis hallucinari tam fœdè contingeret, quæ certiſſimè omnium habere comperta & explorata debuerat! An præter cœtera quæ diſtinctiùs expendemus, adeſſe huc ex Academia Cadurcenſi Theologum oportuit; Qui Eccleſiæ Decretis illuderet? Illudit; Qui obluctantibus eorum authoritati colluderet? Colludit; Qui rebellium aduerſæ ſorti ac fatis ingemiſceret? Ingemiſcit; Qui pietatem Regum & fidem velo prætextæ perfidiæ, aut præſumptæ iniquitatis obduceret? Obducit; Qui iuſto capta bello non ſatis iuſtè nouo iure cedere capienti; contra omnem iuris & ciuilis & canonici ſanctionem; contra cæterorum omnium Theologorum vniformem doctrinam, vnanimemque conſenſum; contra omnem ſenſus communis notionem, & inſititij luminis ac natiui noti-

tiam; contra populorum omnium vſum ac mentem, gentiumque leges & pacta nouus doceret Anteceſſor; aut quaſi ratum compertumque ſupponeret? Docet, ſupponit, ratum habet; Qui proinde tandem LVDOVICO NVPERO NOSTRO, cui ſuorum etiamnum oculi defuncto fluunt, ſimul cum ſua IVSTI nomenclatura prӕriperet, quicquid armis ab illo hactenus comparatum eſt; ſi non & iure veteri aliunde ſibi debitum vendicabat? Prӕripit porrò, dum non habet aliunde quo vendicet; nec poſſe putat hoc titulo vendicari. An qui ſe Iuriſconſultum, qualis non prudentior; Politicum, qualis non verſutior; hiſtoricum, qualis non oculatior, venditat; dum cœteros aberraſſe putat omnes; ita ſuſceptӕ diſceptationis tranſilire cancellos, & vltra metas excurrere debuit, vt quibuſcumque fragmentis potuit, vel figmentis potiùs atque vmbris, in literas poſtea referendas excuſſis, id vnum impugnaret quod oppugnari non oportuit; id impugnandum prӕteriret, quod expugnare non habuit; id euincere negando videri vellet, quod & negare non licuit; id aggredi negandum auderet, quod vel maximè ij affirment, quibus authoribus videri vult hoc negare? Atque vt ipſe in earum literarum diſcutiendo charactere tam feſtiuè pronuntiat, *ſpecimen hominis, aut ſecum ludentis, aut contra vmbram ſuam pugnantis exhiberet?* Pag.85. Tanto-ne demum nixu parturire montes oportebat, vt ex enixu tam ingenti mus tantillus; ac tam ridiculus naſceretur? Aut hominem tot aliunde neceſſarijs pro duplici munere negotijs occupandum tam prolixam à tot menſibus telam importuna meditatione contexere; velut araneӕ texturam captandis dumtaxat muſcis; hoc eſt, fallendis ineruditis & inexpertis, comparatam? Ita planè nobis murem pro Leone obtrudit, & aduerſarijs obiectat quem rideant; Ita eos vmbra terrıtat, quam exſufflent; Ita telam inanem nectit quam ſpuendo diſcindant. Ac dum Aragonios in iſta cauſa tam fœdo nomine *Plagiarios Ardeliones* inſectatur; ſimulque tam ludicras tam rigidӕ cenſurӕ rationes oſtentat;

ἱςὸν ἀράχνης. Grӕci Prouerbio dicunt; quo non ſemel Patres vtuntur.

Pag.59.

hoc apud illos obtinet, vt illius inſultationi vel indoleant potiùs vel illudant, quàm eius plagas & laqueos, aut vim omnino vllam reformident; hoc apud omnes, vt dum omnia in hocce tractatu videri tam bellè vult, vix non expers in omnibus ac cæcutiens habeatur; Et quod

Lib. de Pallio. c. 3.

in Chamæleonte Tertullianus præter cæteros notat, id ſe quiſque aduertere hîc putet, cùm ſucci tam parum & corporis *in tam audaci nomine viderit*, DE VENTO CIBVS.

Quin & illum admonere ſeriò quiſpiam fortè malit, quem tam pœnitendæ operæ pigeat tam infœliciter collocatæ; Opportuniùs, Meſplede, in tam diſſentiente tibi argumento taceres, quod ad experientiorem alium pertinere debuerat; quàm vſque adeò abſurda, & parum conſentanea loquereris; Prudentiùs Prouinciam tuam regeres, quàm tibi ſumeres alienam; Iuſtiùs relictas tamdiu, quas ordo tibi tuus credidit, reuiſeres animas, quàm euagantibus aliorſum curis & excurrentibus oculis remotiora diſpiceres, ac nihil ad te peculiariter pertinentia ſcrutareris; Vtiliùs Breuiario precum incumbere contentus eſſes, quo diuina Regibus pietas concilietur ad pacem; quàm *Breuiarium*, vt loqueris,

Pag. 99.

litis immenſæ porrigeres, quo Regum animi excitantur ad bellum; Et quod neſcio an nimio tui amore præſtas, dum amorem Regni obtendis, vt eius *cui placere ſtudes*, inquis, plauſum ambias & fauorem; amore cœli conſultiùs faceres, vt ei placeres fructuoſiùs qui te probare ſolus poteſt; Nec in diſcrimen incurreres diſplicendi vehementer; cùm Galliæ dignitatem, quam tanta fidelitate ſimul & induſtria identidem amplificare pergit ac tueri, tam fœdè à te ac tam imprudenter, ne adulterinè dicam & infidè, dum vindicaſſe videri vis, intellexerit lancinatam. Intelliget autem, ſi libratis per ſingula capita putatitijs, & vmbratilibus momentis tuis id euicero, quicquid in iſta demum cauſa effutis, eiuſmodi totum eſſe, quod in Regum & Regni Galliæ dedecus ac diſpendium redundare neceſſe ſit, ſi per te licet; Dum & inficiaris id pepigiſſe SANCTVM LVDOVICVM,

quod

quod eum reipſa pepigiſſe omnes Galli conſentiunt; Et iniuſtè alioqui à LVDOVICO IVSTO vſurpatum affirmas, quod illius armis comparatum hactenus, publicis Gallia gaudijs gratulatur.

CAPVT SEXTVM.

Quis & qualis eſſe in iſtâ diſceptatione debeat, in Galliam, in Regem, in cauſam ipſam, & in præpoſterum illius vindicem ſenſus.

ENIMVERÒ eſſet, quod eò ampliùs Galliæ; quod ei quem tam præfidens vindex profitetur, Ordini; quod illi ipſi non modicè quantum liceret gratularer; ſi quid reipſa veræ artis ad fœlicem noſtri Martis euentum & auſpicatam ſortem nouus Mercurius addidiſſet; Vnde nimirum tantò ſecuriùs CATALANIA nobis conſtaret, quantò pluribus titulis æquiùs aſſerta dici poſſet; Nec aliud ea mente poſſem, qua LVDOVICI IVSTI memoriam digniſſimam laudibus veneror; qua LVDOVICI AVGVSTI ADEODATI, rediuiuum nobis illum referentis, fœlicitatem fortunatis ominibus anteuerto; qua publicos fœlicitatis tantæ, ſub Reginâ pijſſimâ Parente ac Regente tam omnium votis optatâ, promotores & Gallici Statûs Adminiſtros reuereor; qua Galliam cum ſtudioſis illius omnibus amplector vniuerſam. Ego ſanè Chriſtianis Principibus vniuerſis quacunque orbis parte degentibus veram inter ſe firmamque concordiam, quibus omnibus votis poſſum opto, quia & ego Chriſtianus; Ego ſua ſingulis iura ſarta tecta deſpondeo, quia æquitati publicæ non aduerſus; Ego neminem quem communio Chriſtiana recipiat, aut qui ſanùm ſapiat, auerſandum exiſtimo vel vexandum, quia Catholicus; Quà tamen interim per fas licet, Ego ipſe ſuauiſſimo PRINCIPI, quicquid optari iucundiſſimum poteſt, effuſis viſceribus

Digitized by Google

auguror, quia illi deditus; Ego in Galliæ ſpem paulatim adoleſcenti, quicquid optari ſummum, quia ſubditus; Ego, ſupra ætatem virile neſcio quid iam ſpiranti, quicquid ad Maieſtatis incrementum adijci maius, aut ad venerationem dignius accedere, quia obnoxius; Ego totum illi, ſi fas eſt, orbem terrarum in quo ludat, præcurrente affectu delineo, quia in illius fœlicitatem, gloriamque procliuis; Quin & ego CATALANIAM iuſtiſſimè VENDICATAM aſſentior, quia ſi vel alia deſint momenta, quæ ſincera non deſunt, bellum pro eâ vendicandâ iniuſtum criminari non audeo; Iuſtum debeo dicere, quod incognitis licet mihi cauſis, etſi nullæ paterent, ſummus PRINCEPS indixerit; Sed illudi eum nænijs nolo, quæ inde ludum ſcilicet hoſtibus eum faciant, vnde venerationi eſſe maximè debeat ac terrori; Nolo armari telis quæ tam imbellia torqueantur; quæ tam leuiter excuſſa non feriant; quæ tam facilè ij, quibus feriendis librētur, cum cachinnis eludant, quæ in librantem retorqueant, & quibus repercutiant ferientem; quæ nonniſi aërem verberantia, in fumum vaporemque ſoluantur; Nolo ijs fraudibus & commentis patrocinium illius agi, quibus eius cauſa non defendatur, ſed prodatur; non fulciatur, ſed euertatur; non firmior ſtet, ſed corruat; non iuſtior videri debeat, ſed iniquior deteriorque cenſeri; Aut quibus verum illi jus ac reale depereat, quod ſententijs communibus concedunt omnes; dum fictitium & ementitum aſſuitur, quod vnanimi conſenſu omnes negant; ſiue pactum vt nuſquam initum abnegatur, quod vnâ ſimul voce affirmant omnes & adſtruunt verè factum; quantumcunque fieri non debuiſſe contendant aliqui, aut inualidum prætexant ac reclament. Indignari proinde, tibi, Meſplede, non immeritò quiſque poſſit ob hanc tantam à te Regno irrogatam injuriam, quantam irrogare tam leuia ſcripta poſſunt; dum ad prætextitiam illius defenſionem infœliciſſimè omnium præſtas, quod infœliciter ab alijs præſtitum cauſari non vereris; Niſi & magis ridendum putet, tan-

tam à te tam pertinaci conatu operam eo in opere collocatam, vnde non aliam tibi apud eos omnes qui diſſertationis tuæ momenta librauerint, quàm quæ à te minimè præſumitur, magnificè nugantis exiſtimationem comparari contingat.

SECTIO SECVNDA.

DISCVSSIO EARVM EXCEPTIONVM quas aduerſus IACOBI *Regis Aragonum literas, tranſactionem cum* SANCTO LVDOVICO *teſtificantes, objectat; vt illas etſi paſſim receptas, & Gallis agnitas, per vmbras tantùm & ſomnia, quæ ſibi pro demonſtrationibus fingit, impoſturæ, falſitatis, ac malæ fidei poſtulet.*

CAPVT PRIMVM.

Propoſitio generalis & Synopſis præcipuorum capitum, quibus tum eiuſmodi literas, tum tranſactionem ipſam euincere ſe putat falſitatis, & hiſtoricis omnibus, reique certiſſimæ fidem detrahere non veretur; ſimulque illationum ſumma, quas in Regum & Galliæ dedecus ex illius tranſactionis factæ hypotheſi turpiſſimè colligit.

EXCVSARI porrò à falſi crimine ipſe non poſſim, nec ab intolerandâ calumniâ & cauillatione vindicari; niſi quas illi hactenus vno velut aſpectu ſubiectas oculis næ-nias & falſitates objicio, tales reipſa probem, quales exprobrare non vereor; Quantumque Gallicam dignitatem læſerit, euidenter euincam, quò magis à ſe primùm in vendicanda ſatis juſtè CATA-

LANIA vindicatam gloriatur. Age igitur, particulatim expendamus, quod hactenus vniuerſim excuſſum eſt; ac prætermiſſis quidem ijs, aut per oblatam occaſionem leuiter tantùm excuſſis, quibus antiquum in illam Regum noſtrorum ius iam ante SANCTI LVDOVICI tempora nititur; qualecunque tandem ad ea tempora fuerit, de quo diſceptare non attinet, quia & aduerſarij fatentur aliquod extitiſſe; In eo ipſo jure dumtaxat hæreamus, de quo potiſſimùm quæſtio vertitur; vel retento continuatim ſemper, & non interceptâ deinceps poſſeſſione firmato, ſtanteque adhuc, vt contendit, ac vigente; vel SANCTI LVDOVICI pactis & conuentionibus cum IACOBO ARAGONVM REGE initis, vt omnes præter illum vnum conſentiunt, abdicato.

In Monit. ad Lect. Fatetur ſcilicet, ac velut ratum & firmum adſtruit; *hanc optimam eſſe rationem*, vt ſi S. LVDOVICVS cum IACOBO ARAGONVM REGE de CATALANIA pepigit, & eam illi tranſactione ceſſit, eoipſo à GALLIÆ *Dominio haberi exempta debeat; Nec videri quòd noua querela inſtitui poſſit*; Aut ſi quam inſtitui liceat, *pro* ARAGONIIS *rem ipſam loqui; Et obtinuiſſe tandem illos, quod tamdiu fuerant machinati, vt plenè ab Imperij Francici ditione ſoluerentur*; Subindeque conſtituit, *Innocentem* GALLIAM *eſſe non poſſe*, quæ ſibi eam iterum vendicauit; *Iuſtum eſſe non poſſe* LVDOVICVM eo nomine tam inſignem, qui eandem armis vendicandam occupauit; *Non ſatis legitimum in illius armis jus eſſe*, vt eam occupare contendat; *Non alio praterea quàm infælici conatu poſſe iſtum à grauiſsimi ſceleris ignominiâ ſempiternâ* liberari; poſſe illam ab iniqua vſurpatione defendi; poſſe Regum illius *maculas elui*; poſſe illos a *fracti fœderis*, à *Sacramenti violati*, à *neglectæ Religionis*, ab *impietatis ac perfidiæ reatu*, aut notâ ſtoliditatis & probro excuſari; Adeò vt ſontem GALLIAM; impios illius Reges ac perfidos; LVDOVICVM alterum, reum; alterum, ſtolidum; imò ſacrilegum & ſceleratum Philippum feciſſe debuerint.

Pag 59. & 60.

debuerint; atque hoc ipſo ſeſe reos in Regnum vndequaque præſtiterint, *eruditi tot* illi *& clari viri*; quos malè feriatus vindex, negatam à ſeipſo vno träſactionem, ex qua ſequi tam abſurda vult, admiſiſſe conſentit; Nec aliæ, ſi per illum licet, rationes vllæ ſubſint; quæ Regum anteriorum honori ſuffragentur; quæ LVDOVICVM in eo capeſſendo bello, vt & reliquo vitæ decurſu non fucatè iuſtum exhibeant; quæ GALLIAM in eâdem cauſa & lite aſſerant innocentem.

Negat verò initam pactionem, ſiue tranſactionem factam; 1. Quia in IACOBI Aragonum Regis qualibuſcunque literis, quas tanto cum deſpectu ventilat, *inerrare ſibi videntur*, inquit, *quadam falſitatis vmbra*; quibus interim excutiendis inſudat tanto conatu ac ſi monſtra vrgeret 2. Quia vel Hiſpanienſes ipſi Scriptores ante Franciſcum Taraffam, & Ioannem Marianam *nihil eâ de re notarunt, qua notiſſima eſſe debuit*; Et eorum *nemo tranſactionem hanc* priùs iſtis *obtruſit*; quam & illos ambos *non ſine præſumptione falſi* referre perperam, ac narrare contendit; 3. Quia nec noſtrates Hiſtorici, qui SANCTI LVDOVICI temporibus extiterunt, & res ab eo geſtas, vel eâ tempeſtate præteritas & confectas tam accuratè conſignarunt, vt vel in leuiſſimis ac minutiſſimis nugis otiantes hærerent, eius rei meminerunt, quam *hiſtoriæ monumentis digniſſimam commemorare potiſſimum debuerant, ſi reipsâ contigiſſet*; Quin *tranſactio iſta*, inquit, *Scriptoribus omnibus, qui trecentis annis ab illius natali vixerũt, ignota fuit; velutique furtiuus partus obſcuriſſimos parentes habet ac nouellos*. 4. Quia *tanta varietate ab ÿs enarratur, qui confectam agnoſcunt*, vt nulla maior; *tanta contrarietate*, vt nulla diſcrepantior; *tanta difformitate ſententiarum & ſenſuum*, vt nulla diſſonantior eſſe poſſit; *quando vnus* inquit, *rem actam cum* LVDOVICO, *alius cum* PHILIPPO; Pag. 95.
Vnus anno 1258. *Alius anno* 1260. (Addere potuit & quòd alius anno 1262, ſi legiſſet authores, quos huius rei tam audenter negat meminiſſe) *Alius item Corbolÿ, alius Claromontiꝫ* (addere hîc etiam potuit, quòd *alius*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Barcinone; vnde ipſæ *Iacobi* literæ prænotantur) *Vnum* denique Dotis nomine; *alium pura ſimplicique permutatione*, *aut compenſatione*, perfectam eſſe commemorat. 5. Quia illius initæ monumentum inter *Origines* Regias nullum extat, idque illi *Tilletus*, *qui magna omnes diligentia ſcrutatus eſt*, indubitatò perſuadet; Nec vllum eiuſmodi *Autographum* ab Hiſpanis profertur, quod etiam apud illos extare *Barcinone* inter arcanas *Regum* ſuorum, inquit, *Origines* debuiſſet. 6. Quia ijs *conditionibus & circumſtantijs clauſuliſque inſolentibus*, *nec adhiberi conſuetis*, pactio illa ſeu tranſactio exhibetur, quæ in animum ſapientis ac prudentis viri conuenire non poſſint; & ſtolidum, vt non dubitat loqui, SANCTVM ipſum LVDOVICVM oſtendant, ſi tam leuiter *ſua dimiſit* alienis; *iniuſtum*, *ſi aliena* ſibi anterius *vſurpauit*; ac ſuâ, *qua illum in cœlum extulit*, *pietate indignum*, ſi nullo iure vſurpata retinuit. 7. Quia PHILIPPVS *Patre mortuo antiqua Maiorum iura repetiturus*, CATALANIAM *magno cum exercitu ingreſſus*, *ad* GERVNDAM *vſque penetrauit*, *quam poſt diutinam obſidionem cepit*; *& grauioris cæli impatiens*, *febre correptus*, *in ea expeditione diem obiuit*; *Quod eſt magnum*, addit, *continuata poſſeſsionis argumentum*, *& falſi coniectura veroſimillima*; Et quidem tantopere illum vrgens, vt alioqui PHILIPPVM *contra iuratam à ſe fidem*; *contra ius Gentium*; *& contra fœderis ac Sacramenti Religionem peccaturum* aſtruere non formidet; ſi Sanctiſſimus Parens LVDOVICVS pactam cum ARAGONVM Rege CATALANIAM tranſegiſſet; ac peccaſſe tam fœdè non dubitet, ſi tranſegit.

Hæc enim omnino capita ſunt, quæ in illo inſigni libello ſuo confuſè hinc illinc ſparſa tam exultanter oſtentat, vt nihil minùs quàm obtuſos decernat, qui tranſactionem illam factam eſſe crediderint; nugaces, qui ſcripſerint; præſtigijs deluſos, qui exſcripſerint, aut probarint; *Plagiarios*, qui falſam pro verâ venditarint.

Atque ita, ſi per illos ipſos, quos in iſto veriſſimæ tranſactionis inficiandæ infœlici commento fautores tam

præfractè iactat ac tam infidè; Si per illos, quibus eam totos ab illius natali trecentos annos ignotam fuiſſe fingit, velut in abdito deliteſcentem, quæ inſperatò tandem erumperet; Si per Hiſtoricorum omnium, quibus explorata eſſe certiùs potuit, fidem, euicero reipſa veriſſimè factam, vt euidentiſſimè recipio me facturum; Si & euicero ſubinde, vel præter euidentiſſimam & planiſſimam veritatem, vel otiosè ab illo & vaniſſimè proferri quicquid profert; quin etiam vel ſtupendâ cæcitate ac ſocordia, vel intolerandâ præuaricatione ac perfidiâ cauſæ diſſimulari quod omittit; Hoc ſupererit, quàm fœliciter publica Regni iura defendat, quæ rata eſſe ſine GALLORVM omnium exprobratione; ſine conceſſæ ab omnibus veritatis peremptione; ſine impoſturarum & falſitatum fictione non poſſint; Hoc efficietur, quàm ſe in illud iniurios noxioſque præbuerint cœteri, qui non hac arte integritatem illius & gloriam vindicarunt: vt vnus omnium de illo bene meritus videri poſſit, qui ſe primum eius artis authorem gloriatur; Hoc reſtabit, quantum per Cadurcenſis Anteceſſoris licere ſententiam & arbitrium poteſt, LVDOVICVM alterum videri *ſtolidum* oportere, quem Sanctum Eccleſia reueretur; Iniuſtum alterum, quem non ſola Gallia, inter lugubres mortui lacrymas in LVDOVICO altero ſuo rediuiuum amplexa, ſed vniuerſus vndique orbis IVSTVM clamat; Parum piam cum LVDOVICO illo filio ANNAM, cui tot cœlum indicijs, terras calculo, ſuffragatur ~~[illegible]~~; Galliam ream, cui nec Hiſpani vitio vertant, quòd operam vtrique Principi ſuo tam fidelem in decreti per illos belli exequendâ ſanctione præſtiterit. Et hoc demum ſingulare operæpretium tam inauſpicati vindicis fuerit, vt hanc Hiſtoricis impoſturam affingeret; hanc cœlo iniuriam irrogaret; hanc inureret infamiam Regno; hanc pijſſimis ac pene venerandis Manibus ignominiam ſempiternam infigeret; hanc hoſtibus calumniandi anſam præberet, aut materiem ridendi ſuggereret; quam oppidò perlibenter arripiant tam in promptu oblatam, ſi

eum *Regis Imperio*, quod fallaciter oſtentat, id extuliſſe in publicum ominentur; Sic *maculas* Regum primus & ſolus *elueret*; ſic *labem* GALLIÆ *detergeret*; ſic illi CATALANIAM vendicaret; atque hoc tam neceſſario inſtituto non Academiam ſolùm, ſed Prouinciam ſuam, tam firmo interim oculo, & tam ſano capite deſtitutam, per tot menſium interualla deſereret.

CAPVT SECVNDVM.

Quàm parum aptè in primis & exoticè ſolas pene IACOBI *Aragonum Regis literas, falſi poſtulandas, carpendaſque ſuſceperit, vt ipſam tranſactionis inter illum & Sanctum* LVDOVICVM *inita prætextam falſitatem euincat.*

PRIMVM igitur excogitatum ab illo momentum, quo tranſactionis à ſe negatæ falſitatem euinci putat; imo vnum illud & ſummum, ad quod cœtera omnia reuocare vltrò citróque contendit, IACOBÆIS literis continetur; aduersùs quas totos quà poteſt lacertos exerit, totas colligit vires, totos arietes vibrat; vt *inerrantes* in ijs *quaſdam falſitatis umbras*, quas deprehendere ſibi per ſomnium videtur, *acerrimâ*, vt loquitur, *indagine diſcutiat; & argumentis, teſtibus, Scripturarum collatione, alijſque veſtigijs veritatis*, erratitias illas, fallaceſque demonſtret. Tantæ molis erat *inerrantes umbras* adoriri, vt tam ingentem hîc adhiberi conatum oporteret; ac tantâ illas contentione inſequi, ac ſi totas hoſtium copias inſectari haberet; aut ex illo eius tam generoſo in vmbras inſultu tota fortunarum noſtrarum alea, toti Gallicæ fœlicitatis apices dependerent.

Atqui hoc ipſum eſt verè σκιαμαχεῖν, Meſplede; nec aliud quàm ſpectra ſibi obijcere debellanda; quodcunque tandem de præfatis literis iudicium ferri poſſit; idque interim,

interim aſſequi, vt non tam aduersùs effictas tibi *falſitatis vmbras* depugnare ſeriò, quàm ludere in tuâ otioſiſſimè videaris. Quid enim attinet ludente ſecum animo, *tabulas* in ijs literis, vt per ſe iacent, fingere; quibus Hiſpani nobiſcum agant, veluti *publicis* quæ tranſactionem factam iuridicè adſtruant, *inſtrumentis*? Quid vrgere attinet, *vnius partis codicillum* ac ſyngrapham non ſufficere, vt ius aliquod illi partum euincat, aut ipſa cum aliâ contraxiſſe præſumi neceſſariò in iure debeat, niſi & huius reciproca conuentio proferatur? ſiue vt id quod mutuum non eſt, vim nexus & pacti mutui probetur non habere? Quid attinet vt Aragonij Regis *Diploma*, ſi ſolum alioqui ſit, nec vlla Gallici Regni ſubſcriptione, aſſenſuque firmatum, non eſſe tale vrgeatur, quod facere fidem nobis poſſit, aut vllam apud nos authoritatem promereri? Quid attinet aduersùs eiuſmodi literas, quas Barcinone datas inſcriptio ipſa præ ſe fert, velut aduersùs falſum confictumque contractum, Claromonti vel Corbolij habitum declamare? Cauſarique tam vehementer quòd illis legitimi contractûs neceſſariæ conditiones deſint; vt initus Corbolij vel Claromonti cõtractus non fuerit, quia datæ apud Barcinonem literæ formam contractûs tenoremque non præferunt, quantumcunque non præferant? Quaſi ſuppoſititias & erraticas literas eſſe oporteat, quia vim contractûs per ſe ſolas obtinere non poſſunt; aut eodem tenore Diplomata literarum ſcribi à ſingulis Regibus debeant, quo mutua inter ſe pacta & contractus iniri; vt Meſpledo probentur non confictæ. Quid attinet Iureconſulti partes agentem, ac veluti Cadurcenſis Anteceſſoris dignitati noua Doctoris in vtroque iure inſignia fortaſſis adijcere geſtientem, tota iurium armamenta verſare; tota egerere Digeſta; totis incubare Paragraphis; totum codicem voluere; totos titulos & conſilia tota ſcrutari; ac inter cœteros præſertim legum interpretes Menochium vnum ingerere toties, & licet ob doctrinæ commendationem commemoratu non indignum, ad nau-

ſeam vſque obtrudere; vt literas à IACOBO Rege Aragonum datas, non habere ſolas per ſe vim pacti, nec eſſe ipſum SANCTI LVDOVICI contractum probet? Quod vtique citra vertiginem nemo fingat. Quàm exoticum ſimul & illud, vt quia literæ Aragonij Regis Barcinone conſcriptæ contractum per ſe non continent, contractus ipſe apud Barcinonem initus non ſit; cui diuerſis temporibus, vt alioqui per ſe clarum oſtendam, initia Corbolij per ſponſionem data, finis impoſitus Claromonti per nuptias; poſtquam Barcinone ratihabitus, & reciprocâ vtriuſque Regis aſſenſione firmatus, has vna ex parte IACOBI literas teſtes, ac velut obſides habuit; quas & Sanctus LVDOVICVS ex alterâ per ſuos internuntios ac Legatos, oblatis reciproci conſensûs præſtimonijs, acceptaret: Adeo huic legum interpreti, & Regum arbitro vacat in arenario ludere; celerrimoque præter viam curſu fatigari; vt metam & ſcopum non attingat; ne vel otioſa illi deeſſe induſtria videatur.

Non his vtique literis, Meſplede, qualeſcunque tandem tibi videri poſſint, litis noſtræ momenta conſtant; Non in ijs præcisè ſolis quæſtionis cardo verſatur, quam euoluimus; Non inde tranſactionis initæ deſumenda creditur veritas, vel firmitas eruenda, ſi ſolæ ſint; Nec eas ideo proferunt, vel ſuis inſerunt monumentis Hiſpanienſes hiſtorici, quibus iſta cum Gallis, eas etiam referentibus, cauſa communis eſſe debet; vt velut ex tabulâ nobiſcum agant, & hoc vno earum exſcripto ac relatu peremptoriè nos putent cōuincendos. Politicis ad quos pertinet, vbi Diſceptatores vtrinque ſiſtuntur qui negotia eiuſmodi publica inter ſe definiant, expediendam hanc litem & verſandam relinquunt; vt exhiberi Diplomata vrgeant; quibus propria vnicuique iura conſtent; Hiſtoricis pluſquam ſatis, dum penes arbitros non diſceptant, vt rem geſtam nudè narrent, qualem eam ex mage publicis & compertioribus apud omnes monumentis exploratam habere potuerunt.

Digitized by Google

An porrò falſas te arbitro literas referunt, quæ contractûs initi fidem faciant, quia contractum ipſum & inſtrumentum illius ac Diploma non exhibent? Quid ſi vidiſſe fortaſſis Diplomatis ipſius exemplar non potuerint, quod Regia ſcilicet ἀρχαῖα contineant? adeoque Secretius, quàm vt in omnium oculos incurrat; Sacratius, quàm vt manibus omnium proteratur; Auguſtius, quàm vt in vulgus efferri paſſim præſtet? Literarum verò exſcriptum ſaltem faciliimè viderint, quibus ad vniuerſos publicè datis Rex IACOBVS nutum hac in re ſuum aſſenſumque ſignificat? *Vt nouerint*, inquit, *vniuerſi*, &c. Nempe quæ ſibi deinceps iura quo titulo vendicet; quæ Dominia (ſeu prætexta, ſeu vera) per tranſactionem iſtam & pactum abdicet; ac ſemper inpoſterum abdicata voluerit? An tam hebetes putas vt eas ipſas referrent, quæ per ſe non valeant, niſi certiſſimas contractûs initi, & aliunde conſtantis, teſſeras & notas eſſe ſcirent? An tam otioſos, vt confingerent editas, quæ nihil authoritatis addere hiſtoriæ ſuæ poſſint, etſi veras, quia expreſſo conſenſu mutuo, mutuâque ſyngraphâ non firmatæ; detrahere fidei plurimum poſſint, ſi tam certò, vt prætexis, euidenterque conficta? An tam iuris immemores, vt publicè illas pro veris cum tam ſingularibus clauſulis & conditionibus exhiberent, quas tam facilè intelligerent poſſe à Gallis; quorum aſſenſum adſtruunt, falſitatis argui; conuinci nullitatis; malæ fidei ac perfidiæ poſtulari?

Sed fictitiæ licet ac fallaces reipſa videri apud quamlibet ſanos arbitros poſſent; Nihil hoc ad pacti de quo agitur, ſeu tranſactionis initæ veritatem; quæ vel ex perpetuis ac vnanimiter conſpirantibus hiſtoriæ Gallicæ monumentis; & illis ipſis quas exhibes tabulis, aut quos adhibes teſtibus, ita conſtabit; vt vel ſerò te falſitatis pigeat, ſi tam indigni gradu tuo characteris piget; cùm eam per illa eadem quæ adulteras; vel configis teſtimonia, non vmbraticè; ſed veriſſimè agnoueris deprehenſam.

CAPVT TERTIVM.

Quàm imprudenter aſſerere falſas audeat literas, quas à noſtratibus etiam Hiſtoricis agnitas pro veris profitetur; aut eas ex commentitijs iuris à ſe confictis præſumptionibus aggredi conuincendas, quas à ſupremis ipſis Legum arbitris approbatas agnoſcit.

NIHIL intereſſe profectò ſatis hactenus quiſque intelligit, quales literæ illæ dici poſſint, aut quantumlibet falſæ fallaceſque cenſeri; vt & falſum ac fallax dici debeat, quod alijs aliunde momentis ratum, fidem hinc ſuam, firmitatemque non vendicat. Videri-ne tamen Anteceſſori Cadurcenſi fallaces ac fictitiæ potuerunt, quas CATELLVS *vir* ab eo *ſagax ac diligens* appellatus, *agnouit, probauitque pro veris?* Deſpectum illi crederem, vt tam facilè ab eius mente deſciſceret, niſi *ſagacem* ſaltem *ac diligentem* dignaretur agnoſcere. Addidiſſe debuerat quantus & qualis eſſet, ne minimum quidpiam & minùs fortaſſis æſtimandum ſuſpicaremur in Catello; Non debuerat omiſiſſe; quòd Regius in ſuprema Curia Toloſana Senator; adeoque inter ſummos legum ac iuris Antiſtites conſpicandus; Imò nec omiſiſſe debuerat, in eo quidem opere hancab illo veritatem agnoſci, has probari literas, hunc earum tenorem totum, qualem in libello ſuo Anteceſſor ipſe inſerit, exarari; quod Illuſtriſſimo Franciæ Nomophylaci SEGVIERIO, cùm Sigillorum Cuſtos nondum in ipſam CANCELLARII dignitatem, quam tanta cum laude ſuſtinere plaudentibus bonis ac diuturnos annos optantibus pergit ſemper, euaſiſſet, nuncupauit; Hoc addidiſſet, credo, qui tam ſtudioſè id in alio requirit alibi, *ne conditionem hominis neſciremus*; Niſi eum fortaſſis, in tanta licet peritiæ

tam-

tam inanis oſtentatione, puduiſſet, ſi tantum vtrinque nomen ab eo eſſet expreſſum, plus aliquid in ipſâ legum, iuriumque notitiâ videri ſapere velle; quàm quibus earum omnium rerum peruia lux; omnium credita cura & fides; omnium interpretatio facultaſque permiſſa. Latere maluit, quo palàm eum confundi oporteret, vt quibus CATELEI nomen ignotum, aut operis ab illo editi volumen incompertum eſſe poſſet, ſuſpicari neſcio quem ex hiſtoricorum triuio ſubinde ipſi poſſent; quem tam auſpicato Regiorum iurium arbitro & Anteceſſori Cadurcenſi, quantumuis *diligentem*, vt non abnuit, *& ſagacem*, componere in par authoritatis pondus non liceret; multóque ampliùs tam formidabili Moloſſo, aduersùs Hiſpanienſes tam vaſtùm ac tam horrendùm allatranti, quàm CATELLO *præſtigijs eorum fortè deluſo*, & nondum ſatis experto fraudium, vel technarum prorſus experti auſcultarent. Vereri alioqui planè debuit, ne aut ſtupori omnibus, aut ludibrio fieret, dum ait, eas à Catello *literas agnoſci pro veris & probari*, quas ipſe tot *falſi præſumptionibus*, totque in ipſam iuris formam præſcriptum-ve peccatis redundantes vndique ac ſcatentes deprehendat, quas *pacta inſolentia continentes*; quas *contra* ſtylum Curiæ *ſcriptas*; quas *contrarijs clauſulis, pugnantibuſque conceptas* conqueratur; (Pag. 90. & 91.) hoc eſt, id à Senatore ac iuris arbitro præteriri, vel illius oculos in ipſâ iuris diſceptatione præterire; quod vtique tam obuium, tam acutus ac perſpicax Anteceſſor, etſi ne legibus quidem à limine ſalutatis, aduerterit.

An verò non multò magis mirum exiſtimet quiſque qui vel modicè ſapiat, *ſapere* illum tam parum *ad ſobrietatem* potuiſſe, vt Senatorem ignoratarum legum carpere inſalutator illarum auſus palàm ſit; vt ſus Mineruam docere voluerit; vt Senatùs tam illuſtris ac tam ſplendidi tantum lumen in ſuo ipſius munere cœcutire maluerit, quàm vt in alieno quod vſurpat officio inter tot *inerrantes* oculis *vmbras*, inexpertus viarum aberraret? An non cuiuis in mentem ſeſe Comicum illud

Digitized by Google

inſinuet, quod vel ipsâ rationis inſitæ lege præſcriptum eſt, vt *quam quiſque nouit artem, in ea ſe demùm exerceat?* Mirarique non tantùm, ſed ſtupere ſuccurrat, nec opinor ſine riſu, eò vſque progreſſum Anteceſſorem, vt omiſsâ interim eâ quæ totum illum exercere haberet operâ, velut magis ad inſtitutum illius & conſcientiam pertinente, non dubitet exercere quam neſcit; exerere quam non callet; oſtentare quam non vidit; venditare quam non habet; vſurpare quam vetatur; & vel ipſos illius Genios edocere, quam non diſcere licuit; Aut ſummis illis viris, quos ἀγοραίυς, vt eſt in Prouerbio, ſeu FORENSES MERCVRIOS venerari cum ſingulari quadam notæ illis artis admiratione debuerat, non ex æquo dumtaxat & pari paſſu ire, ſed & præire geſtiens; audeat indicare velle quod non viderint; explanare quod inacceſſum ſibiipſis non attigerint; peruium ac penetrabile facere quod non peruaſerint; interpretari quod non capiant; reuocare illos vnde aberrent; aperire quod neſciant. Hæc nimirum audere non veretur, dum CATELLO probata reſpuit; dum *ſagaci*, vt vocat, *viro* pro veris agnita falſi poſtulat; dum Senatori ſupremo ſuis ipſius monumentis publicis ex integro pro legitimis exarata, pro craſſiſſimis iuris & legum corruptelis ac deprauationibus & erratis habet; dum & cæteris Politicis omnibus, vt eò ampliùs poſtea patebit, admiſſa, non aliud quàm *Ardelionum nugas*; quàm *ſecum ludentis hominis vmbram*; quàm *Plagiariorum impoſturas* inclamat.

Amabò te, Meſplede; num illæ tuis oculis *inerrantes vmbra* tam frequentes, quas hæ tibi literæ tam inuiſæ obiectant, vel ipſum tam acutæ rationis lumen tantiſper offuderunt, vt audere tantum poſſes? Poſſes verò, quia Menochius tibi tot *præſumptionibus iuris* pluſquam abundè ſuppeditat (quod mox diſtinctim expendemus) vnde illarum met, quas non oblatrari à Catello miraris, literarum falſitatem, *tam claris argumentis*, quibus vtique libellus tuus conſtat, etiam apud Romanam ipſam Ro-

tam, aut alium quemcunque ſinceriorem Senatum, certiſſimus Demonſtrator euincas. Quid hîc exiſtimaturos *Hiſpanienſes* tuos ac dicturos putas; cùm eius à te *impoſturæ* prætextæ accuſari ſe viderint, & ob eam ad æquiorem quemlibet ac ſinceriorem Senatum prouocari; quam Gallici Arbitri probent; quam Politici fateantur; quam Interpretes iuris agnoſcant; quam publicè teſtentur atque admittant Hiſtorici; quam ſuis ipſorum perennibus monumentis in omnes tranſmittendam Senatores inſcribant; quam Supremo legum Genio cenſendam nuncupent; quam nemo præter te vnum vel *impoſturæ vmbram* ſuſpicetur; Nec aliter ſe *impoſtores ac Plagiarios* haberi ab vllo Senatu hac in cauſa poſſe intellexerint; quin eiuſdem ſimul accuſationis reos à te dici oporteat, quotquot annuunt, Gallos omnes; & in Senatus ipſos, Galliæ, ſi per te licet, vniuerſæ, non ſine turpi probro redundare videri poſſit, vt non id ſaltem abnuerint, ſed probarint, quod apud æquiores quoſlibet ac ſinceriores arbitros *deterſis partium ſtudijs rem cenſentes*, tam ſecurè confidis improbandum, & vel *flammis vltricibus addicendum*. O Iuris Gallici vindicem!

CAPVT QVARTVM.

Quàm inanibus leuiſſimarum notatiuncularum vmbris præfatas Regis Aragonum literas explodi à ſe oſtentet, ac falſitatis & impoſturæ indubitatò conuinci; ac primùm ab ipsâ Hiſpanicæ gentis indole atque vſu.

ITA eſſe tamen contingat, vt hæc hactenus literarum IACOBI cauſa vllius arbitrio verſata non fuerit; vt recens diſceptari nunc habeat; vt nullius in ijs diſceptandis authoritate nos oporteat commoueri; vt nullum pro iiſdem agnoſcendis præiudicium proferri ex noſtratibus ipſis poſſit; ſolis

expendi rationibus debeant, quibus earum tenor, qua-
liſcunque ſit, vel adulterinus & ſpurius, vel genuinus
ac legitimus dignoſcatur; Quid hîc tandem tam demon-
ſtratorium producit Anteceſſor, quo neceſſe ſit Hiſpa-
nienſes tam apertè conuinci, vt eluere impoſturam illam
ſuam, & fictitias literas expiare niſi *flammis vltricibus*
poſſe non ſperent? Scilicet eiuſmodi demonſtrationes
tam efficaces ac tam certas, vt id omnino vnum defœca-
tioribus oculis euidenter oſtenſuræ ſint, quàm illuſerit
ipſe ſibi, vel illudere Galliæ temerario nimis auſu præ-
ſumpſerit; dum & apertè falſa pro certiſſimè veris ven-
ditat; & ſomnia mera pro ratis Oraculis ingerit; & inte-
gra reſecat; & nunquam facta fingit; & obtrudit exoti-
ca; & tranſacta confundit; & violat omnia; & principia
iuris ac Theſes faſtuosè oſtentat; ex quibus in eâ quam
verſat causâ, concluſiones nullæ conſtent; nulla exi-
ſtant ἐπιχειρήματα: nullæ hypotheſes conſequantur. Sed
quoniam, licet omnia ſimul id genus argumenta tam
clara tam confusè permiſceat; Alia tamen ſunt, quæ ip-
ſam Tranſactionis velut nunquam confectæ nullitatem;
Alia, quæ literarum, quibus facta exprimitur, falſita-
tem attingant; Priora quidem ſeorſim expediam ſingu-
la, quibus ea capitibus & notationibus comprehendit;
Ea verò hîc tantùm in excutiendis literarum apicibus
perſequar, quæ directiùs earum falſitatem prætextam
ſpectant; qualem omnibus perſuaſam eſſe certò vult;
& qualem illi perſuadere, ſi tam cœcus fuit, nouella iſta
excogitatæ ab eo artis inuenta potuerunt.

En quibus id momentis aut perſuadet ſibi, aut perſua-
dere cœteris tentat; quæ à conditione ipsâ perſonarum
literas illas obtrudentium; quæ ab earum formâ, ſtylô,
ratione ſcribendi ac tenore; quæ à circumſtantijs rerum
in ijs expreſſarum eruantur.

Præſtò in primis illi ad manum eſt, vnde à ſuis Hiſ-
panienſibus confictas eſſe illas obtruſaſque conuincat;
quia non diſſimili perfidiâ & aſtu confingere alia ſoleant,
& reipsâ confinxerint; quæ vel nunquam facta eſſe, vel

aliter facta, quàm ab ijs conficta fuerint, compertum
ſit; nec id facere omittant, quoties aliquid lucri captan-
dum eſt, aut commodi aliquid ex fraude factâ ſperari
poteſt reportandum.

Præſumitur inſtrumenti falſitas, inquit, *ex perſonâ No-* Pag 95.
*tarij, qui alias falſitates commiſit; aut ex parte eorum qui
inſtrumento vtuntur; ſecundùm eam Iuris regulam, quòd
ſemel malus perpetuò malus præſumitur in eodem genere
mali. Et idem dicendum eſt*, addit, *quando extat mala* Pag 96.
Notarij vel Scriptoris fama; Pergit verò vt ſuam inde hy-
potheſim, ſubſumptum-ve conficiat; *Quæ præſumptio
multis & grauiſſimis coniecturis nititur*; quas deinde ad
ſola duo exempla contrahens, totas *falſo Diplomate Mo-
narchiæ Siculæ quod Fazellus obtruſit*; & *authentico*, vt
ipſe vocat, *Inſtrumento, quo* PETRVS *Aragonum Rex
probabat ſe Burdigalam veniſſe ad diem ſingulari certamini
conſtitutam, cum* CAROLO *Siciliæ Rege* D. LVDO-
VICI *fratre pugnaturum*, vniuerſim ſummatimque com-
plectitur; quia illud ſcilicet *contra omnem hiſtoriæ fidem,
contra ipſos rei geſtæ commentarios, qui etiam nunc Burdi-
galæ extant à Seneſcallo Regis Angliæ ſcripti; contra
proceſſus Acta, quæ Cardinalis Sanctæ Cæciliæ confecit;
contra ipſum Summi Pontificis proceſſum, qui* PETRVM
Aragonium diris deuouit ob violatam toties fidem; vendi-
tauit: Ac proinde concludens id quod potiſſimum ſibi
hac in causâ proponit, *Igitur audacia genti propria, quæ-* Pag 96. &
ſita ſibi ſemel fraudibus, & ſceleribus iura per falſas tabulas 97.
tuendi, facit vt has literas falſi arguamus; inquit; qui
ſe ſolum nominare ſingulari appellatione debuerat in eo
quod ſolus hactenus arguit; ne quis in ambiguo fallere-
tur; aut ipſe ſibi tam ſingularis inuentiâ ſe primùm ex-
cogitati gloriam deperire in ſolidum ſineret, vel cœteris
communicatam imminui; Niſi quòd ſic loqui arbitrum
ad maius authoritatis pondus oportuit, qui ſtanti mo-
menti ſententiam in ipſam Hiſpanicæ Gentis vniuerſæ
condemnationem pronuntiare tam præfidens haberet.

An rectè id? an prudenter? an verè? an vel ad rem

ſaltem & cauſam? Affirmare non dubitem pudere Galliam probri tam propudioſi ac tam infamis, quod aduerſariæ licet, hoſtilique nunc genti tam impotenter inflictum, & charitate tam parum Chriſtiana vibratum horreat; ſi nec vllius rei aliunde illam in libello tam inauſpicato puderet. Excuſare, credo, malit, ſi vel falſas arbitrari literas poſſet, veras tamen ab hoſtibus luſâ mente præſumi; quàm totum quà latè patet Regnum vnum, Catholicâ ſibi Religione coniunctum; ſiue audaciæ, prudentiâ humanâ tam indignæ; ſiue improbitatis, non atheo genio tam aduerſæ; ſiue fraudis ac perfidiæ, generoſum animum tantoperè dedecentis, accuſare contendat. Sua nimirum tueri ſic didicit, cùm obtinuit; ſic repetere, cùm amiſit; ſic vendicare, cùm potuit; vt æquitatis putet premere armis hoſtes, cùm occupant, vt reſumat; candoris, genuinè cum illis agere, vt inofficioſè non lædat; Religionis, non inſectari contumelijs, vt prædamnet. Hoſtes nunc illos habet, quia vrgent iura; quos & amicos vltrò deſpondeat, ſi iura ſinant, quia & Chriſtianiſſima ipſa, Chriſtianos agnoſcit. Alia quidē in eos expoſtulet, qualia Regijs LVDOVICI IVSTI literis Anno 1635. publicè datis, ac decreti per eius nutum belli buccinatorijs continentur; & ea exprobret, quæ violati iuris illos ac fœderis poſtulent; quæ affectatæ Monarchiæ vel Dominij arguant; quæ indicendi neceſſariò belli artifices incentoreſque accuſent, vt haberi non injuriâ hoſtes oſtēdat; Vt exprobraret verò quod *quæſita ſceleribus iura per falſas tabulas tueantur*, aut hunc illis tam pudendæ infamiæ characterem infigeret, qui vel in plebeio quouis & infimo gradu non tam æterno ſolùm dedecore inurendus videri poſſit, quàm *flammis*, vt vindex loquitur, *vltricibus* exurendus; neque actutum quantumcunque hoſtili animo cogitauit; generoſoque magis ipſa ſenſu eſt, quàm vt Meſpledo conſentiat, opinor, hoc audenti. Non timet maſe feriatus ac præpoſterus vindex, ne *audaciam* in illum *Hiſpani* retalient, & eo ipſo *ſibi propriam* inficientur, quam & in illo tantam deprehen-

dant, vt quidlibet ſine accuſatore, ſine teſte, ſine cuiuſquam aſſenſu, ſine certo vllo momento, quin & omnium diſſuadente diſſenſu, torquendum in illos arbitretur, modò læſos à ſeipſo confidat?

Quàm prudenter porrò, ſi vel noſtrates arbitri judicent; ſi excutiant Galli; ſi Gallia ipſa vniuerſa pronuntiet; vt *quæſita ſceleribus iura* fingat! quæ quiduis aliud appellare debuerit, ſi ſceleribus comparata; Vt efficere quidquam apud Reges falſas tabulas poſſe cogitet, ſolâ hoſtili manu conſignatas; inſignitas hoſtili, nec ampliùs, nomine; characterem ſolum hoſtilem exhibentes; quò ſua ipſi jura euinci tam leuiter ſinant; Aut eiuſmodi tabulas fieri poſſe ſentiat, quæ ab alijs Regibus fictæ, aliorum etiam characterem ac nomen præferant, quorum jura ſubuertunt; indeque ſibi pondus ac fidem, authoritatemque concilient; Aut intereſſe valde Regum exiſtimet, vbi erumpere in aliena Dominia potuerunt, ſi *quæſita ſceleribus*, vt prætexit, *jura per falſas tabulas tueantur*; quæ vtique apud arbitros juris tueri, niſi veris probatiſque non poſſint; Aut ipſas potiſſimùm ſingulares IACOBI REGIS ARAGONVM literas *falſi arguat*; quas nec Hiſpani vnquam tales fingerent, ſi vel cœtera fingere omnia potuiſſent; nec propalare auderent, ſi vel audere quidlibet credi poſſint; nec ſuis quidquam prodeſſe commodis cogitarent, ſi vel aliena quantumuis inuadere molirentur. An prodeſſe quidquam potuerit ab illis fingi, vt Galliæ ſibi iura depoſcerent; quod ſtatim fictum agnoſcerent Galli; quod reclamarent nunquam factum; quod eorum ſyngraphâ non inſcriptum, & eorum tamen ſcriptum nomine, nec niſi hoſtili manu exaratum, nemo non falſum quantumlibet ſtolidus judicaret? An ſi prodeſſe potuerit vt quidquam fingerent; non aliud ſibi pro *innatâ* illâ, quantam eorum *genti propriam* vult, *audaciâ* fingere glorioſius potuerunt? Annon dicerent, retineri à ſe plura Dominia quàm reſeruent; pauciora dimitti, quàm excutiant; quando æquè idem prætexere vtrinque ac præſtare potuerint?

Digitized by Google

Annon audaciâ illâ tantâ dignius quiddam eſſet, vt comparatum oſtentarent, quod abdicatum profitentur? Annon & aliud æquè fingerent, ſi quod fingi oporteret, inſtrumentum, quo Catalaniam deinceps rurſum à Gallis *inueſtiturâ Pontificiâ* vendicatam, poſteriùs tamen abdicatam eſſe prætexerent; vt etiam tunc abdicatam Noſtrates Hiſtorici conſentiunt, & Tilletus ipſe poſtea proferendus affirmat? An ſi nullum tam ſpecioſâ, tam opportunâ, tam neceſſariâ propemodum occaſione finxerunt, quo Catalaniam ab iſto poſteriori vendicandæ illius momento eximerent; ſi nec alijs retrò temporibus id fecerunt, cùm tot alia vendicandæ rurſus momenta & legitimæ rationes occurrerint inferiùs indicandæ; ſi nullis vnquam in alijs, quæ olim à noſtris Regibus vendicata ſubinde ipſi occuparunt, & occupata iam retinent, id cogitaſſe arguuntur, vt *falſas tabulas* ederent, quibus ea tueri contingeret; in eâ tantùm causâ feciſſe credi poſſunt, in qua minimè omnium, hoc finxiſſe profuerit; & figmentum tam obuium ac tam certo falſi charactere inſignitum tantâ paſſim facilitate potuerit apertiſſimè deprehendi? Aut verò tanti præſumptio illa fuit, tam inani prætextu, friuoliſque dumtaxat obtrectationibus potiùs, quàm ratiocinijs tota nitens, vt eam pro grauiſſimâ conjecturâ, nec minùs quàm pro demonſtratione certiſſimâ ludicrus vindex venditaret?

Non vereri potiùs habeas, Meſplede, ne *Ardeliones* illi tui quos hoc nomine tam vehementer exagitas, tua in te conuitia retorquentes, hoc ipſum tibi reponant, quod ijs tanquam *fabulas & nugas pluſquam aniles* vendi-
Pag. 102. tantibus tam feſtiuè præſtas ac lepidè; vt quæ tam nugax tibi, qualem ſtatim agnoſcent, cogitatio *ſomniauit*, eò illa feſtiuiùs *hiſtrioniâ parent & ſcena*, quò fallaciùs tibi *perſuades*, venditaſque *pro veris*; nullo aſſenſu firmata; nullis explorata indicijs, niſi tuis; nullo teſtimonio comprobata?

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

Quàm illius inſtituto non conueniat Petri Aragonij exemplum; qualecunque tandem de illo iudicium ferri debeat; & quàm eo præter cauſam otioſiſſimè abutatur.

SED enim indicia illi non deſunt, quibus eſſe clariora non poſſint, vt Iacobi Regis Aragonum literæ *falſi arguendæ* comprobentur, quia PETRVS quoque Rex Aragonum, huius de quo agitur IACOBI filius, Burdigalam *ſe veniſſe ad diem ſingulari certamini conſtitutum; præter omnium fidem*, publicumque omnem ſuper hac re *proceſſum*, Authentico inſtrumento probabat.

Hæc illa tam grauis coniectura vna, qua *præſumptio* illius & *poſtulatio falſi* tam ſecura nitatur; hæc tam certa demonſtratio tam directè concludentis, probantiſque Philoſophi; hæc tam recta doctrina Theologi Patrem perfidum ex infido filio colligentis; ac ſingularem vnius culpam non in alium dumtaxat, ſed & in totam vnam gentem, ſimulque maiores æquè ac poſteros transfundentis; hoc Iureconſulti tam ſanum, tantæque authoritatis arbitrium; ex inſtrumento quod alter oſtenderit, falſum quoque contractum æſtimantis, quem alter ediderit; Et illius quidem Iureconſulti tam periti, vt Authenticum Inſtrumentum nouo Iuris vocabulario Nomenclator & Inſtitutor nouus potuerit appellare; quod confictum tam effuſè contendit; quod *contra omnium fidem* oſtentatum inclamat; quod *contra rei geſta commentarios*; *contra proceſſus acta*; *contra ipſum* ſummi Pontificis *proceſſum* emerſiſſe cauſatur.

Quid ſi ad iſtam aciem retundendam vel Noſtrates, Hiſtoricos Hiſpani proferant, quos proferre promptum eſt, vt falſum ab illo aſſumi probent, ex quo tam

Digitized by Google

rectam confici demonſtrationem ſibi fingat? Quid ſi ex eorum teſtimonio ac relatu, aut non improbatione ſaltem ac diſſenſu contendant, adfuiſſe clanculum ſaltem, & coram illo ipſo Regis Angliæ Seneſcallo cauſatum, quòd ſecura vtique ſibi velut in loco ſuſpecto contra conditionem ipſam priùs pactam, eſſe pugna non poſſet; propter CAROLI nepotem PHILIPPVM tertium GALLORVM Regem Burdigalæ tunc præſentem, qui eo illuc fine perrexerat? Quid ſi non aliud propalato ſubinde *inſtrumento* contineri oſtendant, quàm quòd Actum ſui illius clandeſtini acceſſus, & vt vocant, comparitionis apud præfatum Seneſcallum exhibitæ, à Seneſcallo ipſo poſtulauerit, vt malæ fidei vel ignauiæ notam qualitercumque à ſe poſſet apud exteros amoliri? Falſum-ne inde inſtrumentum tam certò colligatur, quod & ſimul authenticum tam accuratus indigitat Demonſtrator?

Falſum porrò ſit & confictum; Quid ad farinas? Finxerit PETRVS quidpiam quod reipsâ non fecerit; Et hoc ipſum ex Seneſcalli commentarijs, per votum credo, vel ſomnium ſibi viſis, euidenter vt ſolet, Meſpledus euincat; finxit ergo Iacobus? Et finxiſſe neceſſariò credi alter ex altero debeat, quia *ſemel malus in eodem genere ſemper præſumitur malus*? Vah! Ratiocinium quàm acutum: vt quia Petrus Iacobi filius præſumi ſemper ex Regulâ illâ malus debet, ex quo deprehenſus eſt fefelliſſe; præſumi quoque Iacobus Petri parens in eodem genere malus tantâ retro ætate debuerit; Et hoc iura Meſpledi euidenter oſtendant! Clancularium actum, quem aut apud ſuos, aut apud exteros, ad ſuam ipſius ignominiam amoliendam, nullo cuiuſquam diſpendio, vendicaret, finxit Petrus; finxit vir, malis iampridem artibus perſonæ vitio in alijs quoque rebus aſſuetus; Et eâ in re finxit, quæ ſimulari facilè poterat; nec tam ſuo quàm alieno ementito teſtimonio niteretur; Publicas ergo tabulas Iacobus finxerit, vel confictas ediderit, quæ ſigillum ac nomen Regium præ ſe ferrent; quæ ip-

ſam Procuratorum Regis Galliæ præſentiam, aſſenſumque prætexerent; quæ mutuam vtrinque jurium ceſſionem oſtenderent; quæ iura Gallica tam confidenter Aragonijs vendicarent; quæ in oculis orbis terrarum editæ reclamatores in re tanti momẽti ſui habere Gallos poſſent; quæ nullius roboris ac momenti eſſent; ſi ſolâ Regis exteri ſubſcriptione inſignitæ, vel ſolâ manu conſignatæ, ſoloque inſcriptæ nomine vulgarentur; Vir ille finxerit, qui nullâ eiuſmodi malæ fidei famâ toto vitæ reliquo curſu ſit notatus, quia notatus toties eâ perfidiâ finxerit alter; Et ſemel malum præſumi eum oporteat, qui nunquam aliàs malus; quia præſumi ſemper malus iſte poſſit, quem ſemel malum contigerit deprehenſum; Quo iure? Finxerit Iacobus quod in ipſa Galliæ iura tam iniquum foret, ac tam Regno aduerſum; etſi nulla Regibus noſtris inimicitiâ infenſus; etſi multâ potiùs iam à puero erga Regnum hoc ipſum, vt vel Hiſtorici noſtrates notãt, amicitiâ propenſus & procliuis; quã & filiæ matrimonio cum filio Regis ac ſucceſſore Philippo coniunctæ ſtringere fortiùs voluit, firmiúſque ſancire, hoc eodem tempore quo fictæ literæ prætexuntur; etſi denique Gallicis penè moribus & à matre hauſtis, & multæ iam ætatis educatione magis ac magis confirmatis, imbutus; Ille, inquam, finxerit tam amicus, quo Galliam perfidè falleret; quia finxit alter tam infeſtus, quo ſe à dedecore liberaret; Et Iacobus tam ſincerè ſibi coniunctis tam iniurius antea fuerit, quia poſtea Petrus tam iurato fidem hoſti violauit; non modò hac in parte malè iam paſſim audiens; verùm & auerſus à Gallis ob Siciliæ Regnum, cuius ipſe Dominium deſpondebat, ab ijs occupatum; & cum Principe Gallo Carolo, eam ob cauſam vi armiſque diſceptans; & nihil interim eo inſtrumento fingens, quod in diſpendium Galliæ adeò cedere, ſed in propriæ ignominiæ deterſionem videretur.

At Iacobus fortè non finxerit, ſed Hiſpani; Etiam-ne Hiſpanos finxiſſe neceſſariò rem tantam oporteat, quam Iacobo longè ante affingerent; quia poſtea finxit Petrus,

Digitized by Google

quod ſuo ipſe nomine propalaret? An Aragonii perfidiæ redundare neceſſe ſit in Hiſpanos; vt quia ille finxit, excuſari non poſſint ſubinde iſti, quin finxerint? Et inde ſolùm Hiſpanicæ Gentis ad *falſas tabulas* confingendas *audacia* colligatur, quibus *parta ſceleribus iura* vindicet; quia quamlibet falſas Aragonum quiſpiam, nihil Hiſpanico adhuc Regno tum coniunctus, ad ſui probrum amoliendum vénditauit? Quis enim verò iſtiuſmodi diſceptationes ac hypotheſes & ſequelas Philoſophus admittat; Theologus probet; Iureconſultus agnoſcat; non inanes putet quiſque, vel tantisper in ipsâ ratiocinandi peritiâ verſatus Diſputator? Bene vtique cũ Gallis agitur, vt per alios habeant, vnde momentis firmioribus, comparata ſibi tueri iura poſſint; quàm vt eiuſmodi ratiociniis hæreant, quæ non reſpuere cum deſpectu Hiſpani, aut ridere non poſſunt.

CAPVT SEXTVM.

Quàm & extra rem, falſum Siculæ Monarchiæ Diploma hic vrgeat, quod à Fazello contra Curiæ Romanæ mentem obtruſum notat, vt falſas eo ipſo Iacobi literas probet.

AC parum quidem illi fuerit, Hiſpanicam in *falſis tabulis* obtrudendis *audaciam* ex propoſito Regis Aragonum exẽplo tam peremptoriè conuiciſſe; niſi & aliud ex Diplomate repetat, quod pro Siculâ Monarchiâ confingendâ Fazellus obtruſit; indeque tanto euidentiùs rem conuincat. Nempe tam certo rurſus indicio, vt quoniam Fazellus, vir ipſe Siculus, in Siciliæ rebus conſtituendis, vel commendandis titulis, & priuilegijs annotandis, *falſum Diploma* commentus eſt; ſiue voluerit fallere, ſiue hallucinari potuerit; *falſas* etiam *tabulas* Rex Aragonum obtruſiſſe debuerit,

buerit, quibus velut ex pacto fictitio Catalaniam vendicaret; aut quaſi *propriam*, *falſas* eiuſmodi *tabulas* confingendi, *audaciam* Hiſpanicæ Genti affingi neceſſe ſit, quibus non tam *iura*, quàm *ſcelera* tueatur; quia iſtam obtruſi à ſe Diplomatis falſitatem vir Siculus quiſpiam ſuis Hiſtoriæ Siculæ monumentis inſeruit; Vt hoc demonſtrare ſe iterum, & *grauiſsimâ coniecturâ* conuincere Meſpledus arbitretur?

Saltem aduerteret, quod eâ occaſione iamdudum EMINENTISSIMVS omni ex parte BARONIVS annotauit; & annotare hîc ad certiorem rei veritatem, iſtiuſque cauſæ momentum iuuat; quia & Hiſpani velut aduersùm irrogatam ſibi calumniam annotare, vt retorqueant, poſſint. Quippe rem totam ita vir tantus excutit, & ſuis Annalium conſignat monumentis; Quòd cùm Siculus quidam Ioannes Luca Barberius dictus, tempore FERDINANDI Regis Hiſpani ad annum Domini 1513. egiſſet cum eodem Rege, vt perquiſita vndique antiqua Diplomata, in vnum volumen, quod Caput Breuium diceretur, *ad noſcenda Regni iura*, eius authoritate colligeret; Ac præter alia multa, *illud etiam* VRBANI PAPÆ *Diploma* de quo agitur, *pariter vti legitur editum deſcripſiſſet, ſed vnde acceperat, non notaſſet*; Proindeque *in talium inuentorem & impoſtorem publicè conclamatum ab ijs eſſet, quorum antiquæ poſſeſſiones hiſce recens inuentis Diplomatibus turbarentur*; Quin & ab ijs eidem Ferdinando Regi libellus eſſet oblatus, *quo Regia implorabatur clementia, ne in præiudicium plurimorum, collectioni Barberianæ fides adhiberetur, niſi de ſingulis doceretur* Autographum, quod cùm eſſet opus, conſulere quiſque poſſet; *Iuſtiſsimæ*, ait, *petitioni Princeps Iuſtiſsimus annuit*; Indeque ſequutum eſt vt ſatis re inſpectâ conſtaret, *nihil prorſus eſſe, quòd vt ei credatur in re tanti momenti cogat? vel aliquo modo ſuadeat, quia eius* Autographum *nunquam hactenus factum ſcitur.*

Tom. 11. ad ann. 1097. Num. 20. ac deinceps.

Hæc ſi Meſpledus aduertiſſet, videret Siculi hominis fraudem ex intẽperatiore quodam affectu, vel inſcitiam

fortaſſis & imprudentiam ex fallaci aliquo monimento ſubortam, quam Rex Hiſpanus exploſerit, etſi dignitati ſuæ non mediocriter blandientem; Vt ex tam ſingulari tam inuſitati Diplomatis Priuilegio conſtat, quod eodem EMINENTISSIMI BARONII loco videre quiſque poſſit exaratum; Nec illius falſitatem Hiſpanis Architectoribus affingeret, vt quicquid prodire alioqui ab illis poteſt, vel hoc ipſo falſum, fraudulentum, fictitium haberet ſuſpicari.

Addit equidem Baronius; *auditum horreſcere, vt exploſam ſententiâ* Ferdinandi, *cuius nullum extaret, quod oſtendi poſſet* Autographum, *& nullius eſſet authoritatis aſſertum* VRBANI PAPÆ Diploma, *illud ipſum ſub ſucceſſore* CAROLO V. Imperatore *bellicis rebus intento, tunc in* Regno Siciliæ, *Aduocati fiſcalis operâ, vti quidpiam diuinũ in ſublime attolleretur, ac ſummis præconijs efferretur*; At hic rurſum videre Meſpledus poſſet, vt in Siculi hominis, patrio ſolo colludentis, operam Baronius ipſe reijciat, quod inter belli curas Hiſpano Principi non vacauit aduertere cùm emerſit; nihilque minùs quàm illius nutui *nouellum hoc inuentum*, vt loquitur, *fuco antiquitatis fraudulenter oblitum & contectum* affingat. Quid hinc igitur ad Hiſpanicæ Gentis falſatricem *audaciam* conuincendam peti poſſit; quod Hiſpani facile non reuincant?

At enim arripuerunt porrò tandem, *& illud in Hiſpaniâ ſuis Hiſtorijs buccinare*, vt idem rurſum Baronius annotat, *occeperunt*. Arripuerint; Quid tum in præſens? Vel hoc ipſo ſatis ab illâ ſe fraude innoxios venditent, quòd illius architectandæ authores non fuerunt; Et quicquid illud eſt, quod nullum certè omnino arbitror; quamuis alterius Diplomatis ab eodem VRBANO SECVNDO Pontifice Siculis conceſſi prætextu concinnatum; id aliunde obtruſum ſibi, ac *prætextu quoque tam diuturni temporis tam ſpecioſè blandiens*, exceperunt, vt & ſubinde quaſi conceſſo vterentur. Nec verò excuſare propterea velim, qui abuti ſe illo ſciant, & audentiùs tamen vti

figmento non detrectent; Sed id ago dumtaxat, quod Chriſtiana veritas & natiuus candor vrget; ne leuiter contumelia vlla, etiam hoſtibus, affingatur; quam refellere tam promptum ſit, & falſam, confictamque conuincere; Ne-ue tam exotico, ac tam alieno prætextu arguendum putetur falſitatis, velut Hiſpanicâ fraude fictum; quod reipſa confectum veriſſimis tabulis ipſi Galli agnoſcant, & ijſdem apud ſe aſſeruatis tam in promptu Hiſpani habeant, ſi ob Meſpledum oporteat, exhibere. Quid magis alienum porrò, vt quia Siculi quidpiam, quod ſuo Siciliæ Regno peculiare ſit & ambitioſum, confinxerunt, Hiſpani mox fraudis illius ac falſitatis argui debeant; qui multò poſterioribus Diplomate illo prætexto temporibus dominatum Siciliæ vendicarunt? Quid magis alienum, quàm vt quia Hiſpani collectum ab homine Siculo Diploma, & velut ex antiquis illius Regni nondum ab ijs occupati monumentis erutum, cuius & veſtigium aliquod extare in non omnino diſſimili Diplomate apud Baroniũ annotato facilè fingi poſſet, poſt occupatam tandem ditionem illius vſurparunt; *falſas* etiam *tabulas* tam ab omni veriſimilitudine, ſi per Meſpledum arbitrum licet, abhorrentes, & Regis Aragonum nomine venditatas vltrò ipſi confinxerint? An Siculum priuilegium ac Diploma præteritis retro temporibus prænotatum finxiſſe propterea conuincantur; quia Siciliæ Regnum totis poſtea ſæculis occuparunt? An ſi fingere vtique tam glorioſum aliquid voluiſſent, non aliud molituri potiùs exiſtimentur, quod in ipſam proprij ſoli dignitatem & gloriam, quàm quod velut in alieni ac tam diſſiti à ſe cæli ſplendorem redundaret? An quantumcunque finxiſſe credi debeant, æquè promptum fuit, vt publicas literas, quarum deprehendi tam facilè falſitas & explodi poſſet; imò quarum quantacunque prætexta veritas nullam in iure vim probandi haberet, quia per ſe authenticæ, mutuæque non forent, ſimulare potuerint; eaſque velut in ipſis Francorum oculis & conſpectu conſenſuque conſcriptas, quamuis iura Gallica vendicantes,

Iacobi Aragonij nomine venditare; Ac vt VRBANI ſecundi Pontificis, ante quadringentos iamtum annos vitâ functi, Reſcriptum ſeu Diploma, cuius aliqua in contrarium veſtigia vix extarent, obtrudere cogitarint? Aut honorificum quidpiam vnius voluntate conceſſum velut ex illius Reſcripto prætexere; cuius conceſſi monimentum tantus retrò temporis tractus, varijs vt non rarò contingit, euentibus, excutere potuiſſet? Hebetes illos facis, Meſplede, dum tam obtusè fraudulentos vis videri; Ac vereri tibi vtique poſſim, ne te viciſſim ipſi vix non hebetem putent, qui tam obtuſa in illos tela libres, & vt tam grauem illis inuras contumeliam, tam incautis præſumptionibus non perſuaderi tantùm ſinas te, ſed conuinci.

CAPVT SEPTIMVM.

Quàm incautè rurſus vulgare illud iuris Axioma huc torqueat, quod velut ad hominem *retorqueri ſtatim poſſit*; Semel malus in eodem genere præſumitur ſemper malus.

ILLVD certè non putent à te ſatis aduertente, vel tantas inter curas tui ſatis compote iactitatum, vt eodem iuris Axiomate, quo vnus aliquis intelligitur *præſumi ſemper malus*, quādo ſemel contigit vt *in eodem genere malus* eſſet; (quamuis nec id neceſſariò conſequatur) probari Iacobum deceptorem velles, quia Petrus fallax; falſatores Hiſpanos, quia Siculi confictores; totam perfidam gētem, in qua perfidum quiddam perpetratum ab vno ſit; adeò vt hoc ipſo nulla ei deinceps haberi fides debeat; nulla niſi ſcelerata exiſtimari eius conſcientia; nulla niſi turpis fama, opinioque iactari. Tua-ne iura id, Meſplede, perſuadeant? An ergo ſi

Digitized by Google

ſi eiuſmodi quidpiam Gallus aliquis fecerit; ſi fidem alteri fregerit; ſi dolum fraudemque texuerit; ſi fallaciter aliquid infidéque obtruſerit, quod nemo non falſum deprehēdat; mox Hiſpani, quoad per te licet, Gallos omnes accuſent; adulteratores cauſentur; falſitatis poſtulent; infames aut prætexant, aut credant; ſceleratos inclament ac perfidos? Malè igitur oppidò nobis omnibus apud illos à libello illo tuo tam fortunis ac rebus Gallicis auſpicato; Cùm eum tot conſarcinatum figmentis; tot apertiſſimis mendacijs, craſſiſſimiſque contextum; tam prauis dogmatibus, ne dicam erroneis intertextum viderint; Cùm in eo narrata præpoſterè, vel teſtata perperam omnia; Cùm adulteratam vbique vel mutilatam ac truncatam hiſtoriam; cùm diſſimulatam perpetuò vel inuerſam omnino veritatem aduerterint; cùm nullam veri ſpeciem aut veſtigium nullum, cui non aliquid ſemper falſitatis immiſceas, annotarint. Quid enim cùm in illo legerint, eam ipſam Sancti LVDOVICI *tranſactionem* ſcriptoribus omnibus *totos trecentos annos ignotam* à te prætexi, vt & falſam attexas; quam ab eo ſanctiſſimi REGIS tempore Gallici è contrariò Scriptores omnes, & coætanei quidem, agnoſcunt; affirmant, palàm produnt; vt proferam? Quid cùm ſpeciatim negari à te perſpexerint, quòd Guillelmo Nangiaco agnita; quòd ab illo notata; quòd vel *veſtigio* commemorata, & in tanto ſcribendi tot nugas otio recenſita, quam illo ipſo tamen capite, quo narratam negas, & cohærentibus quidem lineis diſertiſſimè narrat, vt referam; & alio rurſus loco confirmat, quem notabo? Quid cùm aduerterint, velut illius inficiandæ fautorem oſtentari à te TILLETVM, Regiarum Originum diligentiſſimum ſcrutatorem; qui factam tamen illam pluſquam ſatis apertè ſignificet, aut ſupponat, vt oſtendam? Quid cùm PHILIPPVM tertium, velut *paterna iura repetiturum*, comparato exercitu in CATALANIAM tranſuolaſſe iactari à te cognouerint; quem tamen propter ſolam ditionis illius inueſtituram CAROLO filio à MARTINO 4. Pontifice conceſſam, veluti ſa-

crum potiùs quàm ciuile bellum in PETRVM Aragonium Eccleſiaſticâ communione interdictum apparaſſe TILLETVS ipſe agnoſcit; & vniuerſi Galliarum Annales ac Hiſtoriæ coætaneæ profitentur, vt euincam? Quid cùm Origines Regias à TILLETO notatas, mutatâ temporum ſerie, variatiſque numerorum notis ex induſtriâ referri à te deprehenderint; in eâque mutatione tam falſâ præcipuum negandæ *tranſactionis* fundamentum collocari agnouerint; Vnde alio anno, menſeque alio quàm ipſe conſignet, annotato, fictitiam contradictionem eruas, vt perſtringam? Quid cùm à te tam multa PETRO Valſernenſi affingi alieniſſima ſenſerint, vt oculatus eorum temporum teſtis, totus in tui teſtimonium ac fauorem propenſus videatur; qui contraria tamen tibi vel maximè omnium ita ſcripſerit, ac ſi te ſuo ipſius teſtimonio conuictum voluiſſet, vt producam? Viderint
Pag. 103. nempe affingi, quòd ſcripſerit PETRVM Aragonium IACOBI Patrem, conatum eſſe vt in *Clientelaris fidei Sacramentum* TOLOSANOS adigeret; ſed *Ciuibus* interim eius loci *tantum ſcelus deteſtantibus, atque ad arma concurrentibus territũ à cœptis deſtitiſſe*; Viderint affingi quòd ſcripſerit, eum ipſum Toloſam *veniſſe*, vt *inter* Concilij
Pag. 104. (Vaurenſis) Patres, & Comites Toloſæ, Fuxi, Conuenarum, & Gaſtonem Bearni Dominum, *qui pridem hereſis conuicti fuerant, & quorum cauſa in eo* Concilio *diſputabatur, non tam patronum quàm arbitrum ageret*; Viderint affingi quòd ſcripſerit *obteſtatum* eũ inter alia, quòd Gaſto
Pag 104. & 105. Bearni Dominus *Vaſſallus eius eſſet; nec poſſent* Eccleſię Decreto *iura ſua in alium ſe inuito transferri, ne ipſe magis quàm Princeps ſibi ſubiectus eo ipſorum Decreto notatus videretur*;
Pag. 105. Viderint affingi quòd ſcripſerit, eum *de Comitibus* Toloſæ, Fuxi, & Conuenarum *agentem*, *non eſſe auſum ſimilem rationem obtendere*; quin & illos *conſanguineos*, non *Vaſſallos* appellaſſe; Quid multis opus? affingi omnia præpoſtero ſenſu, vel mente contrariâ viderint, quæ diuerſis omnino verbis, ac inſtituto tuo pugnantibus & aduerſis ediſſerat; vt ſingulatim quoad opus erit expendam; ne vel

iſta falſitas lateat, tantò à te fortaſſis præſumpta confidentiùs, quantò minùs exploratum ac peruium exiſtimare potueris librum, qui te conuinceret vel inſpectus; vt eum propterea (ſi tamen tibi viſum, quod vix credam) ſine paginarũ indicio, ſine diſtinctione capitum, ſine vllâ ſententiarum ac locorum notâ confusè conſarcines; quatenus à te adulteratum aduertere nemo poſſet; nemo fraudem vel præ inueſtigandi tædio, vel præ aſſequendi deſperatione detegere; Cùm hæc, inquam, Hiſpani viderint; imò cùm viderint, ne quid à te omiſſum ſit, quod præter veritatem fingeres hac in cauſâ; etiam INNOCENTIO tertio à te affingi, quòd eidem illi PETRO Aragonio Pag. 103.
ſuggerenti CARCASSONEM *ſui iuris eſſe*, ac SIMONEM & 104.
Monfortium *conquerenti ea ſibi negare,* quæ Vicecomites Biterrenſes & Carcaſſonæ Comites *præſtare ſoliti erant*, conceſſam priùs à ſeipſo poſtulationem abrogarit; & *cùm falſa eſſe* illa *ex literis* LEGATI, *atque* Antiſtitum *qui* Vauri Concilium *habuerunt, agnouiſſet*, anterius Reſcriptum *eâ de re datum reuocarit*; quaſi jus ipſum Biterrarum & Carcaſſonæ quantumlibet expoſtulanti PETRO abnegatum, & ab illius hominio liberatum eſſe Simonem, decernẽte illo Reſcripto, ſignifices; Ac poſtremò cùm viderint commentitium Concilij LATERANENSIS à te fingi Decretum, quo Monfortius ad Philippum Auguſtum pro Toloſani Comitatûs *inueſtiturâ recipiendâ ſit remiſſus*; quem de nobis & qualem concipere ſenſum debeant; ſi vnius illuſione vel fraudulentiâ totam æſtimari gentem oportet, quia *ſemel malus in eodem genere præſumitur ſemper malus?*

Itane? quia ludere veritatem tibi vacat; quia facere fucum luſcis & oculos faſcinare; quia inoculatis illudere, fallereque incautos; vel eludere, ſi licet, cautiores; Quia INNOCENTIJ reſcriptũ fingere Pontificijs apicibus manifeſtè contrarium, quo tantum abeſt, vt ab Aragonij Dominio Monfortium liberet, quin potiùs hunc adigat, vt *pro terrâ, quam ab illo tenet, reuerenter exhibeat, quod exhibere tenetur*; Quia Decretum Concilij Lateranenſis com-

Digitized by Google

miniſci, quo MONFORTIVS PHILIPPVM ob inueſtituram adierit, quem *Baronum dumtaxat & Albigenſis terræ Prælatorum conſilio* adijſſe, citrà Decretum vllum, ex ipſo illorum temporum teſtimonio dici debet; Quia *literas* Aragonij *grauiſſimas* venditare, quibus *arbitrum agat*; quibus Cõcilij Vaurenſis Patres obteſtetur prò Vaſſallo, & ne præter aſſenſum ſuũ ſpoliari Dominio poſſit obnitatur; quibus tres alios paris cauſæ cõſortes vno indiſtinctim nomine *Conſanguineos*, non Vaſſallos appellet; Cùm tamen ſe *tanquam deuotum* Eccleſiæ *filium humiliter à* Cõcilij Patribus *petere, ac rogare inſtanter* obtendat; Cùm ſe in omnibus quæ petit, *miſericordiam potiùs quàm Iudicium inuocare* teſtetur; Cùm ſe *ratum penitus habiturum* profiteatur, *quicquid ab ijſdem Patribus* de ijs pro quibus rogat, *fuerit ordinatum*; Cùm pro Bearni Domino, *Vaſſallo ſuo affectuosè rogare ſe* dicat, *quatenus reſtituatur ad terram ſuam & fidelitatem Vaſſallorum ſuorum*; ac ſimul eum *ad arbitrium* Eccleſiæ *ſatisfacere paratum* ſpondeat; *ſi nobis*, inquit, *cauſam ipſius audire ac expedire non licet*; Cùm & pro Comite Conuenarum, quem Comitis Toloſani Conſobrinum appellat, velut *pro Vaſſallo etiam ſuo rogare ſe* pariter conteſtetur; *ita vt ad arbitrium* Eccleſiæ *ſatisfaciat, ſi eum apparuerit in aliquo deliquiſſe*; atque adeò Decretum Eccleſiæ hac in cauſâ, vel ſuo ipſius diſpendio, tanti faciat (vtinam verò inpoſterum ſemper?) quod ſugillare interim tu, quaſi leuioris momenti non vereris; quamuis bonis omnibus, quibus te tantopere placere velle oſtentas, commendatum etiam nunc, & ab ijs quoque cum ipſo GALLORVM Rege probatum tunc ac laudatum; Cùm denique pro Comite ſolo Fuxenſi, *ſicut pro Conſanguineo chariſſimo, cui ſine verecundiâ deeſſe in Iure non poteſt*; idem quod pro aliis petere ſe ac rogare ſignificet; ac vnum illum eo Conſobrini nomine inter omnes inſigniat; Comitem verò Toloſanum nullo adiuncto ſchemate nudè nominans, nec illum Conſanguineum appellet, nec Vaſſallum; Quia hæc, inquam, omnia, & alia paſſim fingere tam otioſo tibi vacat; Ac ea quidem

quidem publico, ſi per te licet, nomine venditare, an propterea pronum ſit Gallos omnes audire in Hiſpaniâ nugaces; audire tam infidos; audire proditores veritatis; audire ſomniorum ſuorum pro conjecturis grauiſſimis ac certis præſumptionibus venditores? Aut verti cœteris vitio in ipſam gentis infamiam debeat, quod vnius illudere oculos; vnius fraude potuerit, commentóque confingi? Annon potiùs præſumendus tu quidem *in eodem genere ſemper malus* videri cuipiam poſſis; præſumi Gallia propter te vniuerſa non poſſit? Nec aliud iudicare de illâ hoſtes habeant, ſi te ſaniùs iudicent; quamlibet nutum illius ac nomen fallaci prætextu inumbratum tot figmentis obtendas. Cur igitur & illos oporteat, ab vno ſimul omnes, & Aragone quidem aut Siculo, non Hiſpano, *falſarum tabularum* audire confictores? vt propterea IACOBI literas neceſſe ſit argui falſitatis, quia Siculus aliâ in re finxit; aut Hiſpanos tam infamis probri conuinci, quia conuinci perfidiæ Arago quiſpiam alio rurſus in negotio poſſit; Et quod explodendum præ cœteris ac ridiculum, eò Regula illa Iuris à te allata tuo ſenſu putetur pertinere.

CAPVT OCTAVVM.

Quàm oſcitanter aut inconſultò Autographum Sancti LVDOVICI, ſeu authenticum ipſum tranſactionis inſtrumentum in IACOBI *literis exaratum exigat, Vt exiſtimet fide dignas; aut illius defectu falſas probet.*

APERSONÆ porrò notis, quas hactenus ad euincendam fraudem tam accuratas expreſſit, aut à Gentis indole quam ſategit effingere tam natiuam, non contentus id aſſequi tam fœliciter, quod conatu tam ingenti proſequitur; indéque ad ipſam ſuſpectæ ſibi Scriptionis formam tranſuolans,

quam ad fortiorem falſitatis conjecturam ſcribentium ſuſpicioni adijciat; fidem ſcilicet ijs IACOBI literis detrahendam non acutè minùs, prudentérque contendit: quia Regis Aragonij Diploma *fidem nobis Francis facere nec debet, nec poteſt, quaſi D. LVDOVICVS pacta hac cum illo inierit; quando nobis neque de Autographo, neque eius tranſumpto authentico aliquid profert cui ſtare poſſimus*: Ac propterea earum ſubinde literarum *Autographum* ſibi exhiberi *requirit, quod inter Origines*, inquit, *Regias in Hiſpaniâ extare debet*, vt aſſenſum ab illo tam prudente arbitro mereantur.

Acutiùs-ne id poſſit aut prudentiùs! Quàm acutè requirit Autographum, quòd in Hiſpaniâ extare debeat eius rei, quam falſam & confictam obtendit; quaſi roboris aliquid ac fidei ex Autographo ad *falſas tabulas* & cõfictas accedat! Quàm acutè tranſactionis Autographum, pacta ipſa Sancti LVDOVICI continens, in IACOBI literas tranſcribi poſtulat; quaſi Autographum eſſe ampliùs poſſit, ſi tranſcriptum! Quàm acutè tranſcribi ſaltem in illas *Tranſumptum eius authenticum* exigit: quod nec authenticum foret ex jure, ſi ab eo ſolo deſcriptum qui vicem partis obtineret; quaſi non & confictum putari poſſit, quod ex *alterius tantùm partis* Diplomate teſtimonium peteret; vt & ipſum Diploma pro confictо habendum putat, quod *eius tantùm partis voluntatem conteſtatur*! Quàm prudenter ac politicè fidem detrectat IACOBI literis, quia ſcripta ipſa & pacta S. LVDOVICI non continent! quaſi vt veræ ſint, continere debeant, quod naturâ ipſâ ſcripti & ratione ſcribendi repugnante, continere non poſſunt! Quàm politicè ſatis eſſe non exiſtimat teſtificari tam publicè Regem, quòd cum Rege pepigerit; niſi & exemplar adijceret, quo certior ſibi fides ac ſecurior haberetur; nec ſatis eſſe rurſus, vt in eo Reſcripto quod IACOBVS confecit, à S. LVDOVICO per ipſius Procuratores acceptandum, acceptantis voluntas exprimatur; niſi ſuum ipſe Reſcriptum peculiare conficeret, quod in altero debuerit exarari; quaſi ſuſpicione

hoc ipſum carere apud Meſpledum poſſet, ne *ab homine ſecum ludente* videri deberet exaratum. Quàm politicè id agit, vt aut momentis Hiſtoricis, & noſtratibus quidem earum literarum exſcriptum, apud Catellum præſertim, continentibus nihil credat; aut ad eum ex Hiſpaniâ *vbi extare debet*, ac ex ipſis arcanioribus tabulis, Autographum tranſmittatur! quaſi non & nouam ſtatim fraudem ſuſpicari haberet vir tam perſpicax, quin & illud pro arbitrio architectati eſſent Hiſpani, & fraudulenter obtruſiſſent. Annon & rediuiuum huc adeſſe IACOBVM oportuerit, qui propriæ ſcriptionis facere fidem poſſet, atque omnem falſitatis præſumptæ ſuſpicionem amouere; ne tam fœdè per illum Hiſpani à tanto Ardelionum, falſatorumque Maſtyge vapularent, quòd Regis alterius Autographũ ſuis ipſius literis conſignare neglexerit? Sed vt *inerrantes* tam facilè videre ſibi videtur *vmbras*, vmbram putaret hîc etiam, quæ fictitijs illi monumentis illuderet. Ita ludum agere videtur, dum prudentiam, tam prouidam ſeriamque oſtentat, cui non oporteat fraudes vllas obtrudi; & ſapere geſtit vltra Policos omnes, quibus in mentem, ne literas illas agnoſcerent, aut exſcriberent, cogitatio iſta non venerit.

Eſſe profectò Autographũ aliquod ac Prototypũ, earũ rerũ præſertim quæ maioris momenti ſunt, ſemper oporteat; Vnde Tranſumptorũ veritas deriuetur; Vnde illorũ fulciatur authoritas ac pendeat fides; & quod conſulere cùm opus eſt, vnuſquiſque ad quem id pertinet, aut cuius intereſt, poſſit; quale mox in Diplomate Siculo Baronius requirebat; Sed an patêre debeat omnibus? An ab omnibus, quia non paſſim patet, abnegari? Annon ſufficere cœterorum vulgo debeat, ſi quibus id patêre potuit, hoc affirment; atque id exſcribant, quod illius tenore contineri, exprimique præſumitur?

Et quidem prudentiſſimè illud in eo Diplomate Baronius requirebat, aut aſſerebat ab ijs requiſitum, qui reclamandum illi putaſſent, cùm ex improuiſo erupit; quo nimirum Siciliæ Reges, etſi toties aduersùs Apo-

ſtolicam ſedem de ſuis & Eccleſiæ iuribus altercati, numquam tamen ab eo tempore quo datum eſſe prætexitur, vſi eſſent, vt eo ſe *tanquam telo*, inquit, *potentiſsimo* tuerentur; Non Rogerius eius Rogerij, cui conceſſum dicitur, filius; cùm aduerſùs *Innocentium* (ſecundum) & *Eugenium* (tertium) de intentatis in Siciliæ Regno ab Eccleſiâ Romanâ Iuribus diſceptauit; Non eius nepos GVILLELMVS; cùm aduersùs ADRIANVM quartum de ijſdem Iuribus *contentiones & iurgia miſcuit*; Non vel ipſi Tyranni; quamuis eorum quæ prætendere ſolent, audaciſſimi ac pertinaciſſimi defenſores; Non vel vnus quidem ante CAROLVM V. cui aduersùs Eccleſiam litigare contigerit, vt *proficuum ſuæ cauſæ teſtimonium* hinc hauriret: At in eo Tractatu, cui omnes annuant; quem abnuerit hactenus nemo; cui eorum temporum vſus, & poſteriorum continuata ſucceſſio ſuffragetur; cui ſe primum atque vnum, inuitis Regum ipſorum conſcijs, Regiarumque tabularum ſcrutatoribus, ac legum & iurium Interpretibus aut arbitris refragari Meſpledus geſtiat, ab eâ profeſſione tam alienus; quid neceſſe id requiri? Et à Meſpledo quidem requiri quàm feſtiuum, vt Hiſpanica illi archiuia hunc in finem pateant, quibus eius arbitrio ſatisfiat; Quaſi ſe iamtum Caduceatorem pacis, ad quem iſta ſcrutari pertineat, ob nauatam Galliæ tam glorioſam operam deſpõderet. Anteuertiſſent, credo, Meſplede, cogitationem tuam Hiſpani, ſi eodem quo tu genio diuinare potuiſſent, ne arcanis eorum non inſpectis librum cuderes, tam indigna quæ illis exprobras commenta tam peremptoriè conuincentem.

CAPVT

CAPVT NONVM.

Quantâ rurſùs oſcitantiâ literarum illarum falſitatem ex ipſo ſtyli charactere demonſtrari à ſe, conuincique oſtent.

NEc illi ſatis, vt ex Autographo literarum non exhibito neceſſariam colligat exſcripti earum ſchematis falſitatem; Etiam *ſtylus, qui eſt temporis* Pag. 88.
verus character, inquit, *indicat has literas falſas eſſe*; Cur id verò? *Quòd in illis deſint ea quæ in ſimilibus Principum Diplomatibus adhiberi ſolent*; Quænam illa ſcilicet? Nempe *vt quoties alterius Diplomatis relatiua ſunt, & confirmant acta per Legatos & Procuratores, referant nomina Legatorum aut Procuratorum; tum deſignent locum, diem, menſem & annum, quibus conuenta, pa-* Pag 89.
ctaque conſtituta ſunt; Et mox admodum cohærenter; *Nam amabo*, exclamat; *quis hic* LVDOVICVS *Rex Franciæ cum quo* IACOBVS *paciſcitur? aut cuius pacta, conuentaque confirmat?* Ac ſubinde adijcit; *Non eſſe potuit* LVDOVICVS OCTAVVS, *qui Pater fuit* S. LVDOVICI, *quique anno* 1226. *deceſſit, regnante iam eodem* IACOBO *ab anno* 1212. *quo Pater eius* PETRVS *ad* MVRETVM *interfectus eſt*; Pergitque rurſùm; *Deinde vbi pacta ſunt, & quando? Nam literæ* ARAGONII *feruntur ſcriptæ Barcinone Anno Domini* 1258. *&* 18. *Cal. Aug.* Quin & rurſùm inde differit, *Cur igitur literarum* S. LVDOVICI, *quibus renuntiaſſe ſuis iuribus dicitur, nomen, annum, menſem, & diem non deſignauit?* Atque hoc totum tandem bello iſto & breui Epiphonemate concludit, *quæ tanta oſcitantia?* Coronidem etiam hanc imponens, *Hæc autem eſſe neceſſaria in legitimo contractu docent paſſim Iureconſulti, & res ipſa clamat.*

Digitized by Google

Atqui num vel me tacente res ipſa clamet, quàm hæc oſcitanter effutiat & ineptè? Cur enim inſignire ſic verear, qui ſic ipſe paſſim omnes audet? Num clamet quàm ineptâ notatione interjectâ *verum temporum characterem* ineſſe in ſtylo proponat, vt confictas ac recenter obtruſas IACOBI literas demonſtrare ſe putet? quaſi alius IACOBI temporibus, alius recentiori ætate in ijs quæ omiſſa vrget, exprimendis vſus eſſe debuerit; aut verus propterea ex ipsâ ſtyli ratione deprehendi character temporum, non propter ipſum loquendi vſum ac phraſim iactitetur; Quàm inani iuris prætextu ijs IACOBI literis refragari non dubitet; quibus & ſuam ipſe declarat; & factam priùs à S. LVDOVICO ceſſionem, ac per illius Procuratores Regio nomine ſeorſim exhibitam admitti à ſe profitetur; quia eorum per quos iam ante facta eſſet, nomina ipſa non exprimit: Quaſi non ſatis fuerit iis in tabulis exprimi, ſi exprimi neceſſe fuit, quibus facta ſupponitur & firmata, vt ſuâ ſeorſim firmitate conſtaret; aut quod extra literarum tenorem eſt, ad earum quidquam valorem ac veritatem intereſſet; Quàm vanâ iuridici vsûs & praxis oſtentatione veram illi deeſſe formam, aut certæ veritatis characterem, tenoremque contendat, quia ceſſionis ex parte S. LVDOVICI admiſſæ, & in iis indicatæ, locum, diem, annum & menſem deſignari non videat; Quaſi deſignari hæc ipſa paſſim interſit, niſi cùm dubium eſſe poteſt, quodnam omnium pactum è pluribus quæ quis fecerit, ab acceptante intelligatur admitti; Aut non ad certam literarũ, quibus acceptatio fit, definitamque ſententiam, tam definita eorum, quæ vtrinque ceduntur aut acceptantur, deſignatio; tam vnæ ſimplices que circumſtantiæ ceſſionis; tam expreſſa velut vnius eiuſdemque rei determinatæ ſubſtantia; tam diſerta cœterorum omnium, quæ vnam illam eandemque commonſtrant, expreſſio; qualem vndique literæ illæ ſpirant; pluſquam abundè ſufficiat; Quàm alienâ conſequentiâ falſas eſſe rurſus ac nullas velit, quia Procuratorum nomina non

continent, quibuſcum præſentibus, & ſuam viciſſim ceſſionem acceptantibus agere ſe IACOBVS profitetur; Quaſi nec ſatis fuerit eſſe præſentes, & Procuratoriis literis palàm exhibitis atque agnitis, tanquam veros Regis Galliæ Procuratores eſſe habitos ac receptos, vt ſe cum iis paciſci Rex ARAGONVM ſine vllâ nominum expreſſione meminiſſet: Quàm erratico tandem excurſu in eas tanquam falſas inſultet, quia LVDOVICVS octauus Anno 1226. deceſſit; Et literæ illæ, quæ pactam LVDOVICI nomine ceſſionem commemorant, anno 1258. prænotantur; Quaſi IACOBVM Aragonem Anno 1258. cum LVDOVICO nono ſancto pepigiſſe, falſum videri certiſſimè debeat, quia LVDOVICVS octauus eius parens anno 1226. deceſſit: Aut LVDOVICI octaui deceſſum velut ad euincendas falſitatis contradictoriæ literas illas ab eo ipſo valde oportuerit annotari, qui ſubinde ſub LVDOVICO nono datas obtendi, iactarique ſignificet; Fortè, ne neſciri ab illo putaremus, quò tandem anno LVDOVICVS octauus obiiſſet; Aut ne aliquid præteriret, quo nobis in hiſtoriâ verſatiſſimus probaretur. Quid hîc Ardeliones tui, Meſplede? Non putas tibi reponant, ac tuis verbis inclament, *Quæ tanta oſcitantia*? Quin etiam, quæ tanta inſcitia Iuris & recti? quæ tanta in tam paucis lineis, verborum ſimul, ſenſuumque confuſio? Quo tenam charactere non illi tantùm, ſed quibus melior mens, inſigniendum putent; qui tam inſignem tibi ex *vero temporis charactere* notam deprehendiſſe videaris, vt literarum, quarum probare *ſtylum* non potes, euinceres falſitatem?

CAPVT DECIMVM

Quantâ quoque ſui obliuione ſolennitatem in ijs literis deeſſe cauſetur; ac proinde fictitias illas, falſataſque oſtentet.

SVPERERAT, vt ad præfatas etiam tam graues coniecturas, quibus eam falſitatem ſic euincit, hanc poſtremam adiiceret, quam *ex emiſsione ſolennitatis peti* ait; Pag. 91. Nempe, addit, quia *vna publici contractus eſt* (ſolennitas) *vt à Notario recipiatur, aut aliâ perſonâ, quæ fidei publicæ potis ſit, authoritate Principis inſtituta.* Ita enim, vt pergit, publica pacta inter *Principes ab eorum Commentarienſibus & Scribis, coram certis teſtibus ſcripta & annotata fuiſſe conuincunt omnia authentica, tum vetera, tum noua acta, conuentaque.* Porrò hæc *omnia in ijs literis deſiderari* ſubinde cauſatur; quas nimirum *ſolus Rex* IACOBVS Aragonum *ſigillo ſuo muniuiſſe dicitur contra ſolennem formulam huiuſmodi literarum*; Ac mox rurſus aſſumit *valere coniecturam hanc ad falſam præſumptionem, vt Menochius*, inquit, *docet.*

Non hîc vel maximè ſtupeat quiſque qui legerit, hæc ab eo poſſe tam futilia obtrudi ac tam ludicra, quæ vel ſenſui communi pugnantia primo ſtatim aſpectu videantur, vt in conuictâ literarum IACOBI falſitate totum Catalaniæ vendicandæ momentum conſtituat; Et in coniectationes tam ridiculas, ac ſeipſis tam apertè conuictas, ipſam Regum dignitatem & gloriam, ac totius Galliæ ſimul innocentiam compromitti? *Falſam* ſanè *præſumptionem*, vt illius phraſi vtar ſed alio ſenſu, hinc aucupari potuerit, vt & illud inter cætera falſò præſumeret, quod nullus coniicere iuris arbiter hactenus potuit, ſoli nimirum tam ſolenni clerico, vt veteres Galli dicerent, reſeruatum; At præſumptionem falſi, qualem prætexit,

aucupari

aucupari potuiſſe quis conſentiat, falſas vt literas demonſtraret?

Raram ſcilicet prudentiam: vt Notarij fidem Regio in Reſcripto requirat; & quod in ſubditorum ſponſionibus, quia ſuperiori legi ſubſunt, adhiberi ſolet, vt firmus authoritate publicâ contractus eſſe poſſit, hoc à Regibus legum arbitris exigat, ne vel ſuis ipſorum inter ſe ſponſionibus, & ſuo ſolùm editis nomine, ratũ debeat æſtimari quod ſpondent. Rarum commentum: vt Notarij ſchemate conſignatam Syngrapham plus authoritatis mereri velit, quàm Regis ipſius programmate prænotatam; nec ſatis publicam iſtius perſonam putet, vt cum illo componatur, *authoritate Principis conſtituto*. Raram ſubtilitatem: vt Notarij nomen fingi non ſuſpicetur potuiſſe, ſi quidquam fingere profuiſſet, qui vel effictum Regis nomen exiſtimat. Rarum Regibus pro conſcribendis Diplomatibus documentum: vt ſi quidquam illis credi volunt, Commentarienſibus tantùm & ſcribis excipienda conſignent, non ſuo ipſi nutu nomineque conſcribant; Nec ſe facere quidpiam teſtificentur, ac paciſci; vt ſolent, etiam eâ ætate, qua vel minimè per ſe poſſunt; ſed ſe coram Notario comparuiſſe dicant, vt illius teſtimonio ſua pacta firmarent; quia Meſpledi iura ſic ſanciunt; ſic monumenta nulli viſa perſuadent; ſic *acta noua veteraque* oſtendunt; quorum ſi vel vnum exemplum attuliſſet! An prudentiùs hîc rurſum ac ſubtiliùs poſſit, quàm vt à Commentarienſibus deſcriptas IACOBI literas non putet, quia ex Regis perſonâ prænotantur? Quaſi nunc idem de ſuauiſſimo Principe LVDOVICO Auguſto Adeodato ſentire habeamus, vt non à *Commentarienſibus* exſcribantur, quæ LVDOVICVM Dei gratiâ Francorum Regem decernentem præferunt, aut ſcribentem; quia per ſuos & decernit & ſcribit, quæ tantillâ ætate per ſeipſum decernere non poteſt; nec vel annis prouectioribus conſcriberet per ſeipſum.

Quàm & illud ſubtiliter, quòd quas à Commentarienſibus exceptas, exſcriptaſque non putat,

negat vel hoc ipſo ſolennes; quãuis in Palatio Regio; aulâ totâ præſente; ſtipantibus Regem Aulicis omnibus; ac Proceribus Regni ad excipiẽdam Frãcorum legationem inconſeſſum, vbi hæc acta dicuntur, conuocatis; adeóque ipſis Regis Francorum Procuratoribus ac Nuntiis in eiuſdem IACOBI conſpectu conſtitutis exaratas; vt ille ipſe fert earum tenor, quo conſcriptas refert, vt proſcribat: Quàm fideliter verò, ac ſincerè, non ſubtiliter tantùm ac prudenter, vt eſſe ſolennes neget, *ſolius* IACOBI *ſigillo communitas* prætexit; quæ iſto tamen apud

Pag. 69 illum ipſum coronamento concludantur; *In cuius rei teſtimonium præſentem chartam ſigilli noſtri plumbei fecimus impreſſione muniri.* Non aliud, credo, quàm plumbeum fuiſſe IACOBO ſigillum ſuſpicatur, quo ſcriptas à ſe priuatim literas inſigniret; aut plumbea ſigilla non meminit ea eſſe, quibus publica maximè ac ſolennia muniri Diplomata ſoleant; Vt notata iam olim plumbi poteſtas, authoritatem; grauitas, pondus; perpetuitatem conferre illis firmitas videatur; Idemque interim illi eſt, vt muniri ſigillo Rex literas fecerit, ac vt ipſe veluti *ſecum ludens* otianſque conſcripſerit; Et ita plumbeos putat omnes vt hæc effutienti conſentiant, quæ tam acutè deprehendit. Videant-ne Hiſpani nec rideant; atque illo prætextu ſolo vindicari Galliæ Catalaniam, ſi per iſtum vindicem licet, cachinnentur?

Apud Adrianũ Turnebũ l.6.c.6

Digitized by Google

CAPVT VNDECIMVM.

Quæ noua & velut propiùs ex ipſo literarum contextu petita prætexta falſitatis indicia, quàm inconſultò iterum in eundem finem, & ineptè obtrudat; ac præſertim Epigraphen pace habitâ prænotatam.

VTCVNQVE tamen ignoſcenda hæc illi hactenus tam exotica, quia eminùs tantùm rem inſpexerat, quam deinde pergit accuratiùs intueri, vt *his præmiſſis, quæ tametſi extranea, faciunt tamen ad indaginem veritatis*, inquit, ad magis propria propiùs oculos admoueat, quæ cum aliis interim iam diſcuſſis indiſtinctè permiſcet & confundit. *Cominus nobis agendum*; ait; *& tabulæ ipſæ, quibus nobiſcum agunt, diligenter conſiderandæ*, Nimirum iis oculis, quos hactenus tam perſpicaces agnouimus & acutos. Tum illico in Epigraphen inſiliens, quæ *Literas Domini* IACOBI *Regis Aragonum ſuper pace habitâ inter ipſum & Regem Franciæ* præ ſe fert, occaſionem hinc arripit, vt mox velut effuſâ gratulatione apud ſe ſubſiliens, in illationẽ iſtam erũpat quàm directam! *Non continent igitur actum tranſactionis; ſed pridem factam ſupponunt & iuratam pacem*: Quin & poſtea reprehendit, ac malè omnino habet, quòd *in eâ pacis nomen inſcribitur*; *quaſi bellum inter hos Reges aut geſtum fuiſſet; aut impendiſſet gerendum: Cùm tamen pura quæſtio ad ſummum*, addit, *eſſet instituta de iuribus vtrinque obtentis; neque verbum ſit in his literis aut belli aut pacis*; Et ne quid vllâ ex parte deſit, quod illius inſtituto tam apprimè conueniat, hoc & proximè ſubiicit, *ex Epigraphe* ipsâ *conijcere ſe has literas, non ex* Autographo, *ſed aliunde ſumptas*; eò quòd Regiis Diplomatibus *ſimiles inſcriptiones apponi non ſoleant.*

Pag. 83.

Pag. 85.

Pag. 105.

Quid non hîc nouum quod miremur? Illationes, hy-
potheſes, animaduerſiones, conjecturas, omnia? Quàm
cauet ne quâ eum parte ſtringamus! elabens, cùm te-
netur; euaneſcens, cùm apparet; in omnem ſe for-
mam & partem verſans, vt nec apparere quod reipſâ eſt,
videatur! Ait, negat; probat, refellit; *Deſtruit, ædificat,*
mutat quadrata rotundis: Nunc ex Epigraphe, quaſi re-
pugnantia, vt fingit, continente, literarum colligit fal-
ſitatem; Nunc ſubuerſâ hypotheſi, ex literis ipſis Epigra-
phen conijcit aliunde additam, quia eam Autographi ſty-
lus & ratio non admittit, *nec ſimiles inſcriptiones Diploma-*
tibus Regijs apponi ſolent: Regiam eo ipſo literarum ſcri-
ptionem agnoſcens, quam inſcriptio tamen aliunde ad-
dita prænotarit. Porrò, ſi aliunde addita, vt additam pla-
num eſt, quâ veluti notâ, primo ſtatim aſpectu, internoſci
tractatio earum poſſet, cùm occaſio poſtularet expendi;
quid ad literas, quantumcunque abſurda fingi poſſit, vt
illarum veritas inde nutet, aut vt certa falſitas com-
probetur?

Quid verò eſt, quod abſurdam oſtendat? Quid in illâ,
quod cum ipſo tranſactionis actu pugnet? Quid, quod
literarum tenori contradicat? Quid, quod ex propriâ ter-
minorum notione ac texturâ ſibi ipſi tam euidenter plâ-
num ſit aduerſari? Scilicet, quia *factam dudum pacem,*
iuratamque ſupponit; Supponit autem, quia *pacem habitam*
velut præterito verbo appellat.

Vt apices ipſos accuratè perſequitur! At quid hoc ip-
ſum intereſt ad euincendam *pacis habitæ* falſitatem, &
eam ex literis eruendam? Quid intereſt, vt *actum tranſ-*
actionis non contineant literæ, ſed ſupponant? & iuratam iam
ante pacem, non tunc cœptam? aut quis illum *tranſ-*
actionis actum ſolis IACOBI literis contineri prætexit, vt
ipſarum tenori, quaſi eum non declarâti tantùm ſed con-
tinenti, contrarius inſcriptionis tenor obſtet? Imò, quis,
etiamſi hunc ipſum actum continere dicantur, notare di-
uerſum quidquam ac repugnans in *pacis habitæ* vocabulo
poſſit, tam ſagax Grammaticorum apicum perſcrutator?

Quaſi

Quaſi *pax habita* in præteritum retrò tempus trahi neceſſariò debeat, nec dici tunc habita; cùm initur? An ſi tabulas, quibus de incundo matrimonio conueniri contingit, ſuper inito matrimonio verè inſcribi, præſertim cùm inſcriptio factis iam antea in ipſo eius ineundi tractatu tabulis poſteriùs additur, nemo alius ab iſto reijciat Anteceſſor, aut cenſor abnuat; etiã literæ *ſuper pace habitâ* non verè inſcribi hoc ipſo cenſore potuerint, quæ illius ineundæ pacta, conditiones & conuenta declarent; maximè quia priùs iam editis additam inſcriptionem ſuſpicatur, & aliunde conijcit repetitam? Aut *pax habita* intelligi non poſſit, niſi iampridem in multos retrò annos facta non verò tunc firmata, cùm iam receptis paulò ante S. LVDOVICI ſponſionibus, quas per ſuos ipſius Procuratores acceperat, ſuas IACOBVS hîc adiunxit, explicauit, in conſpectu Procuratorum S. LVDOVICI edidit, ſigillo publico communiuit?

Atqui perperam pacis nomen, adeóque ſpecimẽ quoddam belli aut omen inſcriptio illa præ ſe fert, cuius ne verbo quidem literæ meminerunt; vt nec vllum reipſa bellum aut *geſtum* inter illos fuerat, aut *gerendum* impendebat.

Quàm peremptoriè! Nempe tam nouum Theologo eſt, vt cùm pacem non aliud quàm tranquillitatem ordinis Theologia cum ſuo Principe vniuerſa definiat, rectus interim inter vtrumque Regem firmatus ordo, vt rata ſinguli jura tranquillè deinceps obtinerent, pax appellari potuerit? Tam nouum tot linguarum viro, vt iuxta Hebraïcum Etymon inde pax fuerit appellata, quòd ſuum vnicuique ſeruetur, ſi poſſeſſum; reddatur, ſi ereptum; non violetur, ſi legitimum; non concutiatur, ſi firmum; non inuadatur, ſi iuſtum; aut inter diſceptantes componatur, ſi dubium & incertum? Tam nouum homini ſacris in literis tam verſato, vt citra bellum, quod aut geſtum ſit, aut gerendum impendeat, pacem haberi poſſe ignoret? Niſi Apoſtolus bellum cum omnibus geſtum eſſe, aut gerendum impendere ſignificat, vbi *pacem cum*

Digitized by Google

omnibus haberi à nobis vult; ſi modò fieri poteſt, vt citra iuſtitiæ diſpendium habeatur! Tam nouum Politico tam ſagaci, qualem in hoc opere ſe oſtentat, vt nullum ferè certius belli propiuſque diſcrimen impendêre contingat, quàm cùm inter Principes de Regni Iuribus ac Dominijs, aut ſeptis & finibus quidpiam occurrit diſceptandum? Nec illas quæſtiones merâ verborum altercatione, vt in ſcholâ vel foro, definiri pronum ſit, ſed armorum vi ac virtute finiri? terminataſque *pace habitâ* dici poſſe, cùm belli occaſiones amputantur; cùm anteuertuntur pericula, ne contingat; cùm & ea firmiter obſeruantur, ſine quorum obſeruatione contingeret? Tam nouum genio rerum hiſtoricarum tam perito, vt pacis & concordię nomine noſtrates hiſtorici omnes illud ipſum inſigniant, quod vtrumque hunc Regem pepigiſſe inter ſe inferiùs affirmabunt; & quidem etiam ij diſertiſſimè, quos tam audacter adſciſcit, vt neget; ac ſi ſui ausûs, inuentique fautores?

Quid igitur hoc ipſo literas abnuat, ac reijciendas exiſtimet, quia pacis in Epigraphe meminerunt? Quid neget belli & pacis verbum vllum, quod inſcriptioni reſpondeat, ipſis in literis contineri? Niſi ſonos & ſyllabas aucupatur; non ſenſum & ſignificationem inueſtigat? Pag. 61. Nempe, quia *Materiam quæſtionis inter ſe ac* S. LVDOVICVM ſuper amborum iuribus *ortam eſſe* IACOBVS initio præfatur; & quæſtionem Theologicæ ſimilem, quæ nec belli veſtigium niſi vmbratilis habeat, ſuſpicatus eſt Anteceſſor.

Pag. 62. Atqui cùm IACOBVS ipſe poſtea diſertè ſignificat, ſe *tandem poſt multos Tractatus hinc inde habitos, mediante bonorum conſilio, cum ipſo Rege Franciæ ad eam compoſitionem ac tranſactionem deueniſſe*; Pag. 63. Cùm pergit, *promiſiſſe* S. LVDOVICVM, *quòd in prædictis omnibus & ſingulis*, quæ nominatim expreſſerat, *nihil de cætero per ſe vel per alium reclamabit aut petet* &c. Pag. 64. & 68. Cùm ſubinde addit ſe *vice verſâ remittere* quæ deinceps exprimit; ac promittere, *quòd in omnibus* etiam *& ſingulis nihil de cætero per nos*, inquit, *vel per*

alium reclamabimus viciſſim, *aut petemus in ipſum Regem Franciæ, nec hæredes*, &c. Quid exprimere ampliùs potuit, quo *pacis habita* ſpecimen belli radicibus amputatis oſtentaret? Aut pacem id non vocat Anteceſſor, quo Regum inter ſe contentiones, ac tanti momenti diſſidia, *poſt multos tractatus, mediante bonorum conſilio*, reciprocis non reclamandi ſponſionibus, componantur? Et ignorat, quæ ſit *Ratio vltima Regum*, quâ cùm ſua repetunt, ſi negantur, non aliter quàm in bello reclament? Annon Hiſpanis nominalis Doctor audiat, qui hos apices vocum otioſè ſcrutetur, ſectetur que, vt ipſam rerum veritatem eludat, vel Gallorum confeſſione tam perſpectam?

CAPVT DVODECIMVM.

Quàm futili, friuoloque prætextu ex ijs iuribus quæ ſibi IACOBVS *arrogat, qualiacunque tandem eſſe poſſint, falſas eius literas aucupetur.*

NON hîc verò ſiſtit velut in limine, vt prætextam à ſe literarum IACOBI falſitatem ex Epigraphe ſolâ deprehendat; Quin eâ præteruectâ rem ipſam penitiſſimè perſcrutatus, ex ipſis atque imis viſceribus eruit, vnde figmentum ſibi videatur, non qualibuſcunque, ſed certiſſimis indiciis augurari. *Non leuis eſt* Pag. 92. *etiam falſi coniectura*, inquit, *quando inſtrumentum continet renuntiationem immenſi iuris, & aliqua cauſa ipſius renuntiationis minùs vera fuit narrata*; Tale quid porrò hiſce in literis contineri ſubinde addit; Et eò magis, quòd in enumerandis ditionibus quas velut ſuas oſtentat, Pag. 93. *ſua noſtris iura exæquare* IACOBVS *videatur*; *Quod eſt*, inquit, *non leue falſi argumentum*; Ac ſubinde cauſam attexit, *quia ex aduerſariorum etiam confeſſione conſtat*,

Digitized by Google

ſummum in eas Regiones imperium penes Reges noſtros fuiſſe, quas hic ſibi remiſſas Rex Aragonum conteſtatur; At ſi quæ iura in ciuitates iiſdem in literis numeratas Aragonii habuerunt, inferioris longè ordinis ſunt, neque Regalibus comparanda; quandoquidem eorundem ratione ſub Regum noſtrorum clientelâ fuiſſent; Atque inde *ſuſpicionem falſi pluſquam de coniecturâ meritò ſuboriri ſibi*, pro Paragraphi huius Epilogo, coronideque concludit. Et rurſum poſteà rotam eandem verſans, non minùs quàm *vehementiſſimam coniecturam ex falſis* illis *cauſis in inſtrumento expreſſis erui à ſe* videri vult; *vt quæ tot in iſtis literis apparent, quot ſunt loca, quibus* IACOBVS *Aragoniæ Rex cedere dicitur, numero viginti*; Adeò vt iam *non illæ ſolùm inerrantes falſitatis vmbræ*, quas videre ſibi priùs videbatur, aliquam ei ſuſpicionem ingeſſerint; ſed *vera*, inquit, *certaque tum hiſtoriæ, tum earum vrbium ac Regionum monumenta* clariſſimè perſuaſerint, confictas eſſe ſine dubio literas, quas IACOBO ſui Ardeliones affingunt.

Pag. 99

Euge, quòd plus aliquid coniecturâ iam tandem, vt oſtentat, nobis profert; qui *tam clara*, quæ ſpoponderat, *argumenta* ſolis hactenus vmbris obduxerat; ſiue ſolis *præſumptionibus, coniecturis, & ſuſpicionibus ac indiciis* contentus fuerat explicaſſe; Nec inanem ac leuem coniecturam, quam vt ſomnium Hiſpani rideant, ſed *vehementiſſimam* illam; qua non poſſint non terreri!

At enim non veretur ne ſi propiùs eum in faciem tantâ, quam præfert, præuiâ luce inſpexerint, eò vehementiùs ridendum putent; aut mirari ſatis hominem non poſſint tot Regulis iuris inſtructum, tam politicis artibus inſtitutum, tantâ hiſtoriarum cognitione imbutum, qualem haberi ſe paſſim hîc ambit; qui tam ab illis omnibus aliena commenta ſua *vehementiſſimam* putare potuerit, aut oſtentare cœteris *coniecturam*? Non mirentur ſic ab eo Regum cauſas & judicia, quorum eſſe arbiter velit ignorari; vt neſciat, quàm ſua ſatis exiſtiment, quæ à ſuis ad ſe tranſmiſſa, cum ipsâ ſimul Regni hæreditate

hæreditate initâ ſuſceperunt; Nec inquirere ſcrupuloſiùs habeant, quo titulo parta ſint, quia parta inueniunt; & ab ijs relicta ſibi, quorum facta ſaltem dubia iudicare, vel conſcientiam iniquæ vſurpationis accuſare non audent; Imò & quæ ipſi per ſe bello indicto pepererint, quia iniuſtè à ſe indictum nunquam putant, (non indicturi, credo, ſi putarent) ea ſibi ipſis tanquam propria vendicare non metuant; Ac ea ſubinde, vbi mutuo inter illos fœdere conuenitur, in pactum deducant; & eorum haberi rationem velint, ad componendam inter ſe pacem; ac ſuo nutu, aſſenſuque firmandam? Non mirentur ſic à ſenſu communi aberrantem, vt arbitrari poſſit, quantumcunque IACOBVS falſa iactet, literarum inde conuinci falſitatem, quaſi non ipſe ſcripſerit, ſed Hiſpani confinxerint? Adeò vt præſcribere ipſe proprias loquendi leges Regibus habeat, ne ſibi qualiacunque vſurpent; niſi adulterina ſubinde haberi velint, & ficticia Diplomata quæ conſcribunt: Ac ſi quod, vt exemplo dicam, Regis Angliæ Diploma fortè inſpexerit, quo ſe Galliæ ſimul Regem, vaniſſimè licet, inſcribat; ipſum etiam ſtatim Diploma falſi poſtulet, quaſi non à Rege confectum. Non mirentur tam audacter hîc etiam hiſtoricis illudentem, & hiſtorias quidem ab oculatis teſtibus conſignatas deprauantem; vt iura neget, quæ affirmant; affirmet, quæ negant; quæ teſtantur, eludat; quæ reiiciunt amplectatur? Et Valſernenſem ea ſcribentem, quibus ipſe interfuit, aut quæ ſuo ipſius tempore vel omnium oculis obiecta, vel communi omniũ iactata ſenſu, oculatus & ipſe teſtis agnoſcit, proferre hoc loco maximè teſtẽ audeat; velut illa confirmet, quæ nullo magis infirmari, quàm ipſius teſtimonio poſſint; vt apertiſſimè mox patebit? Non mirentur tam ludentem ſecum & velut in vmbrâ velitantem, vt *certa illa ſua* quæ oſtentat, *hiſtoria monumenta*; & quæ *tam abundè*, inquit, *atque ampliſſima cauſæ Breuiarium non admittit; ac integra ſe tamen editurum pollicetur, cùm iuſſerit is, cui placere ſtudet*, in pauca tantùm, vt addit, argumenta contracturus; non alio nomine com-

Digitized by Google

Pag. 6. memorandas poſtea ditiones falſò in literis IACOBI vendicari contendat, quàm quòd *antiquiſsimo iure memoriam omnem ſuperante* ad Regem Galliæ pertinerent: Tantas, credo, tam latè patentis Germaniæ ciuitates, in Germanicorum Principum literis falſò iam vendicari contra ſenſum publicum prætexturus, quia & ad alios illæ Principes *antiquiſsimo iure* pertinuerint, *memoriam omnem ſuperante*? Quaſi non aut eædem illæ, aut aliæ vbique plures eodem ad Reges noſtros iure pertinuiſſe dici debeant, quæ nunc tamen ab hoſtibus per poſterioris vſum temporis vendicatæ, numerat æque inter ſuas, deducerentur in pactum, ac pro commutatione mutuâ penderentur; ſi de pace nobiſcum conditione iſtâ conuenirent.

Et quod multò ampliùs poſſint, non mirentur tam ſibi ipſi aduerſantem, vt eas ipſas ditiones, Regibus noſtris ac eorum imperio *pleniſſimè* iam olim *ſubiectas* fuiſſe iactet,
Pag. 100. ne IACOBVS vllâ ſibi eas ratione vendicare potuerit;
107. & quas alibi tamen ad maximè propriam Dominii eorum
108. partem quaſi recens adiectas profitetur; ſiue partim per proprij Domini, Amalrici Mon-fortij, ceſſionem LVDOVICO octauo, S. LVDOVICI Parenti, factam; ſiue per ſancti etiam LVDOVICI à captiuo Raymundo Toloſano extorſionem, vt vult; ac Raymundi multam & expoliationem vt appellat, ab eodem inflictam; ſiue pleniùs per *Alphonſi*, qui S. LVDOVICI frater fuit, cum *Raymundi* filiâ matrimonium celebratum! Nec reipsâ niſi Alphonſo ſine liberis mortuo certum eſt fuiſſe Gallico Regno ſub PHILIPPO 3. Alphonſi nepote iuxta huiuſce Matrimonii condictũ *cum pleniſſimis iuribus* accenſitas! Non mirentur poſtremò tam oblitum ſui, vt *vel ex aduerſariorum confeſſione* conſtare nunc velit, *ſummum in eas Regiones imperiũ obtinuiſſe Reges noſtros*, quas propterea pati non poſſit hîc pro ſuis à IACOBO expreſſas; & hoc ipſum pro certiſſimo contra illos argumento aſſumat; quod ab illis antea vel *diſſimulatum fraudulenter*, *vel præfractè negatum*, vt exprobrat, adeò indignatur, vt pleram libelli partem in eorum aſſertione contrariâ refellendâ putauerit inſumen-

dam? Quale illud, Meſplede? tam incautum ſi falleris! tam infidum, ſi fallis! Quippe, ſi de toto tempore loqueris, quod hæc pacta præceſſit; cum teipſo pugnas, qui MARIANAM interim & alios tam incunctanter exagites, *quòd in eaſdem Regiones nihil Regibus noſtris præter Imperij nudum nomen, ſpeciemque permiſerint*; Si de antiquo dumtaxat, quo vendicari primùm cœptæ; nihil ab illis quaſi confitentibus extorques, qui tunc aliquod quidem fuiſſe, ſed ſubinde mutatum eſſe qualitercunque præſumunt; nihil pro te conficis, vt quaſi falsò vendicata conuincas, quæ tantò poſtea vendicare IACOBVS non veretur; nihil habes, quo vel ex eorum conſenſu ac ſententiâ reluctêris, ne *ſua noſtris iura* in vendicandis illis *exæquare* potuerit; aut literas illas eo ipſo conuinci falſitatis poſſe *tam vehementi conjecturâ* concipias.

Quis impedire porrò potuit, quin tam audenter exæquaret? Si aliarum id genus ditionum velut vſu-capio & realis poſſeſſor; aliarum feudum ſaltem, Dominiumque præſumens; aliarum ſimul cum Dominio redditus, prouentuſque percipiens; dubitas, quin *ſua noſtris iura* exæquanda crediderit, quæ feudo plus ac Dominio nudo, quàm reali prouentu & poſſeſſione conſtabant; vt vtrinque conſtare mox expendam? Tantum-ne te mouet, quòd ea IACOBVS exæquarit? aut Hiſpanis hoc tribuis velut falſa fingentibus, quod IACOBO non audes? Noſtri exæquant: Exæquant illi ipſi, Meſplede, qui tranſactionem tibi tranſcurrentibus oculis non ſcripſiſſe viſi ſunt, & ſcripſerunt: Imò plus aliquid ferè IACOBO tribuunt, quod in noſtris obtineret, quàm Regibus noſtris, quod in illius terris vendicarent, literarum tenore diſtinctim indicatis; cùm ceſſiſſe IACOBVM aiunt, *quod in alijs poſſidebat*; LVDOVICVM verò Sanctum, *quod in alijs requirebat*. Et fictitias ideò literas clames, affictaſque IACOBO; quas nemo non agnoſcat verè ab illo exaratas; Aut hiſce ſomniis tuis, quas nōniſi vehementior ſenſuum commotio *vehementiſſimā conjecturam* ſibi fingat, Gallici nominis dignitatem,

aut firmitatem iuris committas vindicandam? Quo probante?

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

Vt Carcaſſonem nominatim, Bliterras, Narbonam, cæteraſque indefinitè ditiones nihil ad IACOBVM *pertinuiſſe, vt eas in ſuis literis vendicare poſſet, præter coætaneæ hiſtoriæ fidem à ſeipſo falſiſſimè iactitatam obtendat.*

PETRVM vtique Valſernenſem, ſi tam ſincero illius relatori, re curioſiùs non inſpectâ, ſtandum eſſet, ita certum horum omnium aſſertorem crederemus, vt nullus dubitationi locus deinceps remaneret, vbi coætaneum & oculatum teſtem audiſſemus hæc probantem. Sed, ô fidem! Ita illum indiſtinctè dumtaxat, confuſéque laudatum omni ex parte deprauat, vt illius abuti nomine voluiſſe, non vti teſtimonio videatur; aut ſeipſum illi ex profeſſo aduerſum, non illum ſibi ſuffragatorem oſtentare.

Quid enim? Carcaſſonem nominatim negat pertinuiſſe quidquam ad IACOBVM, aut illius literis numerari niſi falsò potuiſſe, veluti commutato Dominio abdicatam. At Valſernenſis contra de Petro Iacobi Patre; *Rex Aragonum*, inquit, *de cuius Dominio erat ciuitas Carcaſſona, nullo modo volebat accipere hominium Comitis* (Monfortij) *ſed volebat habere Carcaſſonam.* Et alio rurſus loco: *In colloquio*, inquit, *Narbonenſi ſupplicauerunt Vticenſis Epiſcopus & Abbas Ciſtercij Regi Aragonum, vt reciperet in hominem, Comitem Montis-fortis: Ciuitas enim Carcaſſona erat de feodo Regis Aragonenſis. Quod cùm facere noluiſſet, in craſtino iterum acceſſerunt, & prociderunt ad pedes eius, humiliter & inſtantiſſimè deprecantes, vt hominium Comitis recipere dignaretur; Ipſe autem Comes flexis ante*

In hiſt. Albigenſium. Cap. 26.

Cap. 47.

Regem

Regem genibus ſuum hominium humiliter offerebat; Tandem Rex victus precibus acquieuit; & recepit Comitem in hominem de ciuitate Carcaſſonâ, vt illam Comes ciuitatem teneret à Rege.

Quid rurſum? Negat omnino Narbonam ad Aragonum Regem pertinere videri potuiſſe, vt & illam ſuis in literis numeraret. At eo ipſo quòd antedictam ſupplicationem in Colloquio Narbonenſi à Monfortio Comite Regi Aragonum factam Valſernenſis profitetur, ſatis innuit, quid ad eum Narbona pertinuiſſe dici poſſit; In quâ vtique vix credi poteſt, à Gallo Comite, cauſam tam contrariam defendente, Regi Aragonenſi ſub hominij titulo ſupplicatum, nec aliam occaſionem fuiſſe potiùs expectandam, ſi nihil omnino in eam iuris vendicaſſe videri verè poſſet. Quid quòd *poſt conſummatum Pralatorum Concilium* (Vaurenſe) *idem Aragonum Rex*, ait Cap. 66. rurſum alibi Valſernenſis, *mandauit Comiti noſtro, quòd volebat habere cum eo Colloquium prope Narbonam: Comes autem noſter volens deferre Regi vt Domino quantum poſſet ſecundùm Deum, & obedire, reſpondit quòd libenter iret?* Quid quòd alibi rurſus? *Aymericus*, inquit, *Narbona Dominus & ciues Narbonenſes receperunt in ciuitatem ſuam Aragonenſes & Catholonenſes*, (ita ſcribit) *vt per eos expellerent, ſi poſſent, nobilem Comitem*; nempe Monfortium, quem propter vindicatam Religionem, velut honoris gratiâ, Comitem κατ' ἐξοχὴν indefinitè ſemper appellat; aut *noſtri Comitis* titulo, velut peculiarem Catholicorum Comitem indigitat commendatum. Non id, vel aliquod Aragonum in Narbonam Dominij, tunc ſaltem à PETRO primùm Patre, ac deinde à IACOBO filio vendicati, argumentum videri debeat; quod omnino nullum tam ſincerus relator videri vult extitiſſe? Cap. 76.

Quid rurſus quoque? Negat Bliterras item, quas alij Biterras vocant, potuiſſe IACOBO ſuas videri, vt eas in iiſdem ſuis tranſactionis literis exprimere vllo iure deberet; Sed an Valſernenſis non indicat potuiſſe? Cùm de Cap. 26. PETRO IACOBI Patre rurſum; *Rex Aragonenſis* (Petrus,)

Digitized by Google

inquit, *mandauit Nobilibus per totum Vice-Comitatum Biterrenſem & Carcaſſonenſem, qui adhuc reſiſtebant ſanctæ Eccleſiæ & Comiti noſtro, ne componerent cum Comite; promittens eis quòd ipſe cum eis Comitem expugnaret*; Vbi quòd vtramque ditionem vno nexu coniungit; Quòd vtramque Comiti velut in eâdem cauſâ reluctantem exhibet; Quòd mandatum vtrinque vnum ab Aragonum Rege ſimul vtriuſque Nobilibus deſtinatum, tranſmiſſumque commemorat; Quid aliud quàm ſubindicat ſaltem, eodem Bliterras modo, quo ſuperiùs Carcaſſonam, in illius Dominio recenſitas? Quod expreſſius & alij Scriptores plerique omnes Gallici profitentur; dum in ipſâ *tranſactionis* cauſâ eidem Aragonum Regi Carcaſſonenſe præſertim ac Biterrenſe Dominium, etiam illud quod vtile ac poſſeſſorium dici ſolet; paſſim & vetuſtiores aſſignant; & recentiores, quantumuis oculati aſſignatum agnoſcunt, antequam illud hac ipsâ tranſactione abdicaret.

Quid multa? Negat non modò vllam Toloſani Comitatûs partem, ſed & vllam earum vrbium, *quæ ad Rhodani ripas vſque porriguntur*, aliquâ iuris veriſimilitudine in eiuſdem IACOBI Dominio numeratam. At Valſernenſis idem, de PETRO rurſus IACOBI Patre; *Rex Aragonum*, inquit, *à quo Comes Fuxi tenebat pro parte maximâ terram ſuã, in Caſtro Fuxi poſuit cuſtodes milites ſuos*, &c. Nullæ-ne in totâ illâ terrâ vrbes ex earum numero *quæ ad ripas vſque Rhodani* porrigantur? Quamuis nec in hoc ipſo momento tenaciùs hæream, propter hodiernum inſignis viri poſtea indigitandi teſtimonium, qui propter alias dumtaxat à Fuxenſi terras extra Gallicum ambitum ſitas, Fuxenſem ipſum Comitem Regi Aragonum obnoxium fuiſſe aſſeuerat. Idem & alibi de eodem PETRO rurſum; *Rex Aragonenſis*, inquit, *egreſſus de terrâ ſuâ cum infinitâ Equitum multitudine, ingreſſus eſt Vaſconiam; volens, ſi poſſet, totam terram, quæ per Dei gratiam, & auxilium Cruce-ſignatorum fuerat acquiſita, hæreticis reddere, ac ſuo Dominio ſubiugare. Ingreſſus fines Vaſconiæ cœpit ten-*

Cap. 4. (margin, beside "*Rex Aragonum*")

Cap. 70. (margin, beside "*infinitâ Equitum multitudine*")

Digitized by Google

dere verſus Toloſam : Plura autem Caſtella Vaſconiæ per quæ tranſitum faciebat, timore eius reddiderunt ſe illi. Iam Cap. 66.
& antea ſcripſerat; *Videns Rex Aragonum quòd nihil proficere* (apud Prælatos Vaurenſes) *potuiſſet, in graue diſpendium famæ pariter & honoris appoſuit, quòd Excommunicatos & terras eorum quas adhuc tenebant, in ſuâ protectione reciperet*; Addideratque quòd, *in nullo reſipiſcẽs, ſed quæ malè propoſuerat, peius adimplens, hæreticos omnes & Excommunicatos Comites, Toloſanum videlicet, Conuenarum & Fuxenſem, Gaſtonem de Bearno, omneſque milites Toloſanos & Carcaſſonenſes, qui pro hæreſi exhæreditati Toloſam confugerant; Ciues etiam Toloſanos in ſuâ protectione ſuſcepit, & ab ipſis iuramentum recepit; Ciuitatem etiam Toloſanam, & totum illud terræ quod adhuc illi tenebant, in ſuâ cuſtodiâ recipere præſumpſit*; Ac ſubinde poſteriùs, capite iam citato; Cap. 70.
Veniens Toloſam, inquit, *congregauit Toloſanos & alios hæreticos, vt obſidionem firmaret contra Murellum:* (nos Muretum vocamus) Tandemque poſtea, *Congregatis*, inquit, *Comitibus, Toloſano, Conuenarum & Fuxi, & copioſo exercitu Aragonenſium & Toloſanorum, &c. non ſolùm adjutor dictorum Comitum & Defenſor, ſed totius militiæ quæ exercebatur in obſidione Murelli, caput erat & author*; Cap. 71.
Tantum abeſt, Meſplede, vt quod illi à te affictum iam notaui, reſtitiſſe Aragonio Toloſanos, vel tantillùm indicet, aut eum ab incepto propterea deſtitiſſe; quem cum illis potiùs in eâ obſidione pugnantem (*tanquam eorum caput*) interijſſe deſcribit.

Rectè quidem admones; & hoc ferè vnum in totâ iſtâ causâ profers non corruptè: nec illud à me fraudulenter hactenus in allato contextu prætermiſſum puta, quod hîc ex induſtriâ reponendum putarim: Rectè, inquam, ab eodem authore illo notatũ admones, præſumptionis ideò fuiſſe, vt ciuitatem Toloſanam Rex Aragonum in ſuâ cuſtodiâ & protectione reciperet, *quia propriè de Dominio Regis Franciæ erat*; Sed cùm non idem de cæteris locis dicat; non de Comitatu Fuxenſi; non de Comitatu Conuenarum; non de Bearni Dominio; non de Toloſano ipſo

(præter ſolam Toloſam) Comitatu; quid aliud, niſi reliqua illa ſignificat non eâdem lege impediri potuiſſe, quaſi ad Regem Franciæ pertinerêt, quin prætextu ſaltem defenſionis & belli, eorum ſibi Dominium vendicaret? Num verò & hoc ipſum ſignificat tam expreſsè? Imò plus aliquid adijcit, quo ſignificet non tunc primùm, ſed iam antea illi pleram partem Dominiorum eiuſmodi vendicatam? Siue cùm refert hac eum cauſâ impulſum, quam & apud Vaurenſe Conciliuminculcauit, vt & illorum ſibi ſuſcipienda defenſio videretur; Et eã ipſam fuiſſe cauſam facile ſuſpicari eſt, cur eum Vaurenſis Concilij Patres, quamuis Anathematis comminatione ab hæreticorũ patrocinio deterreri voluerint, anathemate tamen cum Comitibus ipſis, quos nominatim ſolos expreſſerunt, non percuſſerint; quia hæreticos licet, ſuos tamen Vaſſallos ac feudatarios protegebat; Siue cùm Fuxi terram, vt mox retuli, ab illius Dominio magnâ ex parte dependiſſe teſtatur; quamlibet alibi Fuxenſem Comitem, *Conſanguineum* dumtaxat, non *Vaſſallum* appellet; Siue cùm notat Conuenarum Comitem titulo ipſo *Vaſſalli* fuiſſe ab eo inſignitum; quantumcunque aliud per impoſturam iam notatam ei non dubites affinxiſſe; Siue cùm ex INNOCENTIO 3, non Gaſtonem ſolùm Bearni Dominum, ſed vtrumque illum alium Comitem, *Nobiles eius* exhibet, in Reſcripto quod extat, appellatos; vtique quid aliud, quàm viros, qui ſubeſſent illi, ab eiuſque Dominio dependerẽt? Siccine igitur earum vrbium, *quæ ad ripas vſque Rhodani porriguntur*, & quas in literis IACOBVS aut ſatis indicat, aut etiam exprimit, nullam eum ſibi vendicare veriſimiliter potuiſſe ſignifices?

Quid quòd & cœteri deinceps, hiſtorici, Politici, peritiores Galli omnes potuiſſe concedunt? Quid quòd affirmant omnes, qui *tranſactionem* factam notant, admittunt, profitentur? Quid quòd viui adhuc & ſuperſtites, quibus tutum vix eſſet, niſi verum; nec in mentem veniret, ſi non adiaphorum juribus, quorum teipſo tenaces minùs, opinor, credi nolint; idem aſſerunt, idem ſuis inſerunt

ſerunt monumentis, idem euulgant? Quid Dupleixius, qui antiquum in ea loca, de quibus inita *tranſactio* eſt, Dominium & jus, quale Aragones obtendebant, ab illâ veteri Tyrannide, quam ab Arcadij Honorijque Imperatorum temporibus in Occitaniâ ſtabilierant Gothi, deriuatum in hiſtoriâ S. LVDOVICI notat; & à ſeipſo alibi quoque in Monumentis quæ ſcripſit Gallicis notatum refert? Quid Illuſtriſſimus Præſes, & è ſacri Conſiſtorij Regij Comitibus Auguſtiſſimis vnus PETRVS de MARCA; qui, ſi quis alius, accuratè in iſtiuſmodi argumento verſatus, & earum præter cæteras rerum notitiâ inſigniter, vt & ipſe noſti, eruditus, id hac in parte agnoſcit, quod veriſimile negas: id admittit, quod reſpuendum vrges: id ſcribit, in hiſtoriâ Bearnenſi vernaculâ, quod vt mitiſſimè loqui poſſis, putas, *vt anilem fabulam*, explodẽdum? Nam & per ipſam Ermengardis ac Trancauelli Vicecomitis Biterrẽſis mariti ceſſionem iam ab anno 1068. pactam, certum ac tranquillum in Conuenarum, Carcaſſonæ, Narbonæque Comitatus Dominium, & iurium omnium, quæ ſibi priùs Ermengardis obtendebat, vſum, fuiſſe Barcinonẽſi Comiti comparatum notat; ita vt Comitatum ipſum Carcaſſonenſem ſubinde in feudum à ſe acceptum Ermengardi ac Marito permitteret, ciuitate tamen exceptâ quam ſibi retinuit, occupandum; Et Barcinonenſium Comitum in Carcaſſonam antiquum ac totum jus ab Ermeſinde Comitiſſâ Rogerij II. Carcaſſonenſis filiâ ortum addit; vt cui Raymundus Berengarius Barcinonenſis Comes ex eâ nepos, in eam ditionem hæreditatis iure ſucceſſerit; ex quo illa Barcinonenſi Comiti Raymundo Borello iam inde ab anno 1001. collocata, ius hoc ipſum natis ac nepotibus inde genitis comparaſſet; Et ipſo rurſum commemoratæ ceſſionis, quam exſcribit, iure, quô Carcaſſonam vrbem, ac reliqui ſimul Comitatûs hominium Barcinonenſis Comes vendicabat, adiectam quoque Carcaſſonæ Comitis dignitatem, in illius domum tranſuolaſſe teſtatur; adeò vt ſolâ Vicecomitum Carcaſſonenſium appellatione Biterrenſes Vi-

Ad annum 1262.

In hiſtoriâ Bearnẽſi lib. 8. c. 6. Num. 1.

Sup. num. 6.

Sup. num. 7.

Sup. c. 7. num. 1.

ce-comites coëgerit ſubinde inſigniri; Quin & verbis expreſſis eundem illum comitatum Raymundus Berengarius, cui materno primùm iure obuenerat, ſuos inter filios
Sup.num. 12. vnà cum ſuis ditionibus reliquis Teſtamento paterno ſub annum 1076. exarato diuiſerit: Quamuis Raymundum Berengarium III. Barcinonenſem eò tandem adductum eſſe addat, vt Bernardo Atoni, Ermengardis filio, Vice-comiti, paſtione cum illo ad ann. 1112. initâ, exceptam in anteriori pacto Ciuitatis ipſius Carcaſſonenſis inueſtituram concederet; obnoxii tamen ſibi hominii titulo, eâdem quâ Comitatum reliquum cautione ac lege, vendicandam; Et ab eo deinceps pacto, alios quidem Vice comitum nomine, tum ciuitatem ipſam cum prouentibus, tum Iuriſdictionem Comitatûs obtinuiſſe obſeruat; alios verò interim, nempe Barcinonenſes Comites, dignitate
Sup.num. 8. Carcaſſonẽſium Comitum inſignitos; quam & filiis tum ad ann. 1130. tum ad ann. etiam 1162. ſortitò diſtributam reliquerunt; Atque inde mox ea ſubnotat, quæ iam à nobis tum ex *Innocentio* III. tum ex Petro Valſernenſi de hominio Simonis Monfortii notata ſunt; Et Carcaſſonæ hominium Alphonſo Aragonum Regi à Rogerio Trancauello Vice-comite præſertim ſub annum 1181. refert; & nec ſolum Bearni Dominũ, ſed Conuenatum etiam Comitem, ac Fuxenſem (quamuis hunc alio quàm Fuxenſis Dominij titulo ſubinde poſtea notando) *Petri* Arago-
Sup c 17. num. 7. nij Vaſſallos profitetur; & ipſam poſtremò tum Fuxenſis ipſius, tum aliorum, qui ſupra, Dominorum & Comitum ſponſionem illi factam, recitatâ ex *Innocentij* III. Regiſtro formulâ referens, eos exhibet, Caſtella omnia ſua *in manum ac poteſtatem Domini ſui Regis Aragonij* deponentes, vt *pleno* deinceps atque *abſoluto* Dominio veluti ſua, illis abdicantibus, vendicaret.

Videri-ne tibi adhuc, Meſplede, poſſint, ne veriſimiliter quidem à IACOBO filio vendicata, quæ illi Petrus Pater & velut à ſe parta, & velut ad ſe tam longo iam annorum tractu transmiſſa (Gallis ipſis, & quidem vndequaque primariis, confitentibus) vendicanda reliquerat?

Fortè quia certa illa *vrbium, locorumque monumenta*, quæ ampliſſima nobis paras, *cùm iuſſerit is, cui placere ſtudes,* tibi vni recluſa, non viderant? Videri adhuc eo ipſo fictitiæ IACOBI literæ adeò poſſint, vt niſi videri debeant, Galliæ iura perierint; Et eò Gallos ob hoc ipſum adigas, vt innocentes eſſe non poſſint, niſi hebetes; nec immunes à rapinâ, niſi falſitati obnoxij; nec excuſandi, quin violandi iuris authores, niſi ſaltem tanquam *Hiſpanienſis*, vt putas, *impoſturæ* fautores conuincendi?

CAPVT DECIMVM-QVARTVM.

Vt quantumcunque ditiones illas vendicare ſibi IACOBVS *non debuerit, vel reclamare vendicanti Galli iuſtè potuerint, futile adhuc argumentum ſit, quo falſæ literæ illæ, ac falsò coram ijs exaratæ fingantur.*

NEMO equidem, opinor, non ſufficere IACOBO potuiſſe rationes illas exiſtimet, vt commemoratas vendicare ſibi meritò ditiones videretur; niſi qui hunc arbitrum conſulat, tam imperuiâ omnibus abſtruſioris arcani notitiâ, id negantem; Nemo non ſufficere potuiſſe, vt quæ iam inde à primis propemodum Imperij Chriſtiani temporibus tandiu ſibi ſui Maiores tanquam adſcita vendicarant, vendicata & ipſe ſibi ſuis in literis venditaret; Nemo non ſufficere potuiſſe, vt illa ipſa loca quæ paulò ante Pater per Vaſconiam ferè totam, aut velut Dominus ac poſſeſſor, aut velut vindex & Protector occupaſſet, ſibi ſubinde iure filij legitimè intelligeret comparata: Præſertim eorum, quibus tantò ante conſenſerat Pater, vt ijs vltrò cedentibus honorificum ſaltem in illa Dominium ac ditionem obtineret, iam abdicatâ poſteriùs hæreſi; iam compoſitâ cauſâ; iam reconciliatis aliquâ ſaltem ex parte cum Eccleſiâ per pœnitentiam animis; iam Comitatibus in illorum ius ob eam reconciliationem reſtitutis.

Et excuſari certè non poſſit Pater, quin inſolenter ſi voles ac præſumptuosè loca illa omnia in *cuſtodiam ſuam protectionemque* receperit, aut adijcere ſuæ ditioni tentauerit; etſi Toloſam ipſam iuramentum vltrò præſtantem nactus; nactus reliquas vrbes in hoc ipſum procliues & pronas; nactus proprios Dominos non conſentientes tantùm, ſed omnem ſibi operam velut *capiti* ſuo ac *Domino* commodantes: Præſumpſerit licet hac in parte quod non debuit; Id propter hæreticos fecerit, quod nec debuit; Illos fouerit quos opprimere; illis fauerit, quos deſerere; illos iuuerit, quos debellare potiùs, Catholicis adiutoribus, debuit; In eorum fauorem adnatas illis terras tanquam fautor & vindex, præter alias aliunde præſumptas, vendicarit; etſi Decreto ſanctiori proſcriptas, Galliâ ipsâ per ſuorum ſanguinem ſubſcribente, non debuit; Quid ad filium, ne Dominia tamen illa paternæ culpæ nō conſcius comparata ſibi exiſtimaret; exiſtimata ſecurè poſſideret; poſſeſſa confidenter iactitaret? Ac eò confidentiùs quidem id potuerit, quod etſi Pater *Innocentij* Papæ literis grauiſſimè reprehenſus, vt qui *ſub ſpecie pietatis impietatem exercens in ſcandalum populi Chriſtiani & propria fama diſpendium, velut diuini timoris oblitus, hæreticos in defenſionem recepiſſet*; Sic ab illo tamen Eccleſiâq; honorificè habitus erat ſemper, vt & præfatos Comites ac Dominos, interim *Nobiles illius* appellare non desineret Pontifex; & à Mōfortio Comite *reuerenter* illi exhiberi iuberet, *quod pro terrâ quam ab illo tenebat*, *exhibere* tanquam Domino *teneretur*; & *inter illum ac terram eius*, *Monfortiumque ipſum firmas fieri treugas*, ac ſeruari mandaret: Nec aliter cum illo Legatus Pontificius præſens, licet Excommunicationem comminatus; aut aliter Concilij Vaurenſis Patres in finitimâ lite ſibi notâ; vt nec Patres Concilij Lateranenſis illud aliud confirmantes egiſſent: Adeò vt peruium filio eſſet, nihil in eo toto negotio ſuſpicari, quod eum à paternis iuribus anteà vendicatis, etiam ipſi ſibi vendicandis retineret.

Retinere

Retinere tamen illum conſcientia, Meſplede, aliqua debuiſſet, ſi conſuluiſſet ſuam; nihil in eas terras legitimi iuris præſumere potuiſſet; Vſurpatitium fuiſſet, quicquid in iis tandem, ſeu Dominij, ſeu feudi titulo vendicabat; impedire quis potuit, quin hæc iura iactaret? Reclamare ſine bello quis potuit, ne reapſe poſſeſſa, quorum etiam vtile Dominium obtinebat, retineret? Quis refragari, quin honorificum ſaltem vel venditaret apud ſuos; vel à præſumptitiis feudatariis exciperet, vel apud Gallos competitores proclamaret? An mirum vt id iactanti quaſi conceſſiſſe ad fœdus mutuum videatur, quod ambiguum ſaltem euiciſſe ſine ſuorum ſanguine iacturâque vix poſſet LVDOVICVS ille Sanctus; non ſtolidus quidem, qualem propterea videri vis tam imprudenter; ſed pacis amantiſſimus & concordiæ; ſed IACOBO ipſi amicitiâ peculiari deuinctus; velut antiquo Galliæ hoſpiti & in Regnum propenſo; ſed cum eo iam iam per PHILIPPI filij cum YSABELLA eius filiâ matrimonium ſtrictiori vinculo coniungendus? An mirum, vt hæc à ſe obtenta concedenti, vel poſſeſſa oſtentanti, LVDOVICVS ipſe viciſſim conceſſerit nonnihil, vbi dubium quoque jus eſſe inter ambos videri poſſet, quod ſuis vtrinque tam variis ac tam ſpecioſis, vel prætextibus obtenderent, vel rationibus roborarent? An mirum, vt falſi notam non affinxerint literis, quibus iſta iactabat, nec reclamarint Galli; quia de pacto iam ageretur, quo qualitercunque vendicata dimitteret; abdicareque à ſe deinceps profiteretur, *quicquid iuris*, inquit, *& poſſeſſionis vel habebat, vel habere poterat, vel ſe habere dicebat*; nec minùs contentioſis aut arrogantibus verbis explicare poſſet, quod poſſe à ſe præſumi obtendebat; vt omnem refragandi occaſionem ſubmoueret? Sed illud mirum, eas poſſe à te propterea tanquam falſas ac fictas tam audacter explodi; quas Hiſpani, credo, ſi fingere ſibi fauentes tuo ſenſu voluiſſent, ſublimiori apparatu, prætextuque finxiſſent.

V

CAPVT DVODECIMVM.

Quàm alienâ rurſus ab hiſtoriis omnibus, etiam coætaneis, fide contendat, ita nihil iuris olim Aragonum Regibus fuiſſe in ſeptem Comitatus, CATALANIÆ *orâ definitos, qui omnino potiùs ad Reges Franciæ pertinerent; vt propterea fictas videri literas planum ſit, quibus illud obtendit* IACOBVS *pactione mutuâ confirmatum.*

ATQVE vt hoc argumentum ſibi videatur inuictius reddidiſſe, non mox tantùm indicata Dominia quæ Rex Aragonum vendicabat, eius generis fuiſſe abnuit, vt comparari *Regalibus* poſſent, aut eo titulo vendicata præſumi, quin *Regum noſtrorum clientela* tunc ſubiacerent; quantumuis antedicta diſſentiant; & ipſorum Galliæ procerũ fides ac ſenſus repugnet; ſed accedere id quoque velut ex *aduerſariorum confeſſione* ſuperiùs iam reiectâ vult, vt in illas ipſas Catalaniæ ditiones quas IACOBVS in literis exprimit, *ſummum ius* noſtri tunc ſoli Reges obtinerent, quod Galli rurſus ipſi reuincunt; Adeoque meritò illas exprimere non potuerit, vt Regum noſtrorum iuri comparandas, vel præſumere tanquam à ſe ſupremùm occupatas; quod ſolus Meſpledus excogitat.
Certè niſi ei fortaſſis oculi *vmbris illis* quas fingit inerrantibus caligarent; vel pra nimiâ feſtinatione, dum tranſcurſim legit, quod ſuperficie tenus intelligat, aberrarent; apud illum ipſum Valſernenſem *oculatum teſtem* vidiſſet, quo ſentire aliud cogeretur; niſi reçeptum à ſeipſo ac laudatum illius teſtimonium aſpernari & explodere maluiſset.

Quid enim Valſernenſis? Nunc *Simonis Monfortij* generoſum animum Chriſtianumque commendans; *Nullum damnum,* inquit, *inferre voluit terra Regis* (Ara-

Digitized by Google

gonij) *à quo ſingulis diebus mala multa & grauia ſuſtinebat: Siquidem* CATHOLONENSES *homines intrabant terram noſtram, & eam quantum poterant, infeſtabant*: Nunc *Barcilonenſem* (vt vocat) *Epiſcopum, & quoſdam cum eo milites Nuntios, ad Regem Franciæ* (Philippum Auguſtum S. LVDOVICI auum) *à Rege Aragonenſi deſtinatos* refert; Nunc narrat, vt Aragonio Rege in Murelli obſidione interfecto Aragonenſes deinceps & CATHOLONENSES *proſequerentur Monfortium Comitem in vindictam ſui Regis*; Quibus omnibus quid expreſſius eſſe poſſit, vt Barcinonenſem Comitatum, & Catalaniam adeò reliquam, ſupremo iam tum ac proprio titulo vendicaſſe, longè ante tranſactionis tempora, ſeu IACOBI literas, Aragonij Reges agnóſcantur? Cap. 68. Cap. 76.

Non & Catellum *ſuis vmbris* oblatrantem ſentiens, vigilantiâ illius & ſagacitate, quam ipſe laudat, commoueri haberet, vt ab eo caueret diſſentire? Niſi iam ante nihilominus exploſum, ac tam parum conſtante ſibi ſententiâ deſpectui habitum, nihil hîc etiam in re potiſſimùm ad vindicias Regias pertinente ſibi morandum exiſtimaret, Senatorem tantum; hiſtoricum, vt fatetur, tam diligentem & ſagacem; tam prudentem ac fidum ſimul, & Regum in tam ſacro Senatu myſtam, & Regij Iuris ac publici Conſultorem? Quid cùm apud eum vidiſſet, vt Ruſſilionis Comitem pro Vice-comitatu Fenolhedes ac Petræ-pertuſæ, (quam Peram-pertuſam alij vocant) hominium LVDOVICO octauo S. LVDOVICI parenti, velut Galliarum Regi ann. 1227. referat præſtitiſſe; ſaluâ fidelitate tamen, quam Aragonum Regi deberet; adeò vt contingente, ſi fortè, inter vtrumque bello, præfatus Comes id eidem Galliarum Regi quod ab eo teneret, reddere teneretur? Quorſum hoc porrò? Niſi quia Vice-comitatum ex Galliarum feudo; ſed Ruſſilionis Comitatum ex Dominio Aragonum obtinebat? Quid cùm vidiſſet apud eundem rurſùs, vt Aragonum & Catalaniæ Magnates paruulum Regem ſuum (IACOBVM ipſum de quo nunc agitur) apud Gallos, defuncto iam ad Mure- In hiſt. Comitũ Toloſanorum lib. 2. Eod. lib. ſup.

tum Patre, obſidem è Monfortij manibus magno labore difficillimè liberarint? Nihil-ne Catalaniam, non dico ex aduerſariorum confeſſione, quam ſibi ſimul fauentem iactat & aduerſam indignatur, ſed ex profeſſione Gallorum, ad Aragonum Regem pertinuiſſe prætexeret, aut præſumi pertinentem, niſi deditâ noſtris Regibus clientelâ, potuiſſe; vt ſua propter illam iura noſtris IACOBVS exæquaret; aut exæquare ſe poſſe cauſaretur?

Accedit ille ipſe, qui iam ſupra commemoratus à me viuus ac ſpirans teſtis in re ſibi tam accuratè diſcuſsâ tam inſignis Præſes, & Sacri Conſiſtorij Regij Comes tam auguſtus, quem & audio dum ſcripta hæc typis (iampridem exarata) mandantur, Viſitatorem Catalaniæ ipſius Generalem nuper à Rege Chriſtianiſſimo conſtitutum; qui non ſuâ tantùm Syngraphâ Illuſtriſſimo ſupra vulgarem laudem Franciæ Cancellario exhibitâ, id quod euulgo, comprobarit; ſed viſis à me
Lib. 8. c. 13. nu. 8. ſubinde, quæ iam in hiſtoriâ ſuâ Bearnenſi exarauerat, monumentis, confirmarit expreſſiùs. Annon expreſsè ſatis, cùm Bernardum ab Alione PETRI Aragonij Vaſſallum, vt appellat, ob admiſſum perduellionis crimen, bonorum omnium iacturâ, per Curiæ Barcinonenſis iudicium & ſententiam ab eo mulctatum ediſſerens, pleraſque ditiones in IACOBI poſtea literis expreſſas in multâ illâ & iacturâ commemorat? Nempe Vice-Comitatum Viſuldulenſem; aliaque in Comitatu Cerdhanenſi & Confluentino conſtituta Dominia; quæ RAYMVNDO Rogerio Fuxenſi Comiti Rex ipſe Aragonum ſubinde donauerit, vt obnoxij iuxta Barcinonenſem vſum, Aragonicis Regibus Dominij titulo, ea deinceps cum Succeſſoribus obtineret; Quemadmodum & Acto publico ad 5. Idus Ianuarias, Ann. 1208. exarato conſtare profitetur. Quin & illarum ditionum hominium per ipſius Rogerij Succeſſores, Muno Sancio primùm, Ruſſilionis & Cerdhaniæ Comiti; ac deinde Maioricarum Regi IACOBO, eius de quo iam agitur filio; & poſtea

filio

filio alteri PETRO Aragonio iuniori præſtitum notat; quod & Gaſto Phœbus Fuxenſis Comes ad 3. Non. Septemb. Ann. 1350. in Caſtro Perpiniani præſtiterit. Tandemque illud præfatis Aragonum Regibus pro Vice-Comitatu Viſuldulenſi, & alijs in Cerdhania ditionibus à Fuxenſibus Comitibus iuſtiſſimè præſtitum aſſeuerat; Quamuis propter Narbonæ, Fenolhedes, ac Petræ-Pertuſæ Vice-Comitatum neget; Quaſi ditiones illas aut habuiſſet in poteſtate iamtum, aut ad ſe poſtliminio per ſobolis defectum reuerſuras, vt Fuxenſis hiſtoriæ conſcriptores negligentiùs, inquit, aſtruunt, Fuxenſi Comiti condonaſſet. Annon & rurſus poſtea expreſsè ſatis, cùm & in eo iuramento quod Comes ipſe Fuxenſis ac reliqui cauſæ Albigenſis defenſores PETRO Aragonio præſtiterunt, ſimul illum Aragonij Regis & Barcinonenſis Comitis nomenclaturâ inſignitum aduertit; Et quamuis Regalia in Comitatum Barcinonenſem, atque vlteriores alias Pyrenæis montibus terras iura non immerito à Franciæ Regibus vendicata ſignificet; ſimul tamen Regibus Aragonicis in Occitaniam, cœteraſque vniuerſim citeriores iiſdem montibus ditiones debita fuiſſe paria concedit; nec alijs alia veretur exæquare. Vt Guidonem Monfortium, cùm in bello Neapolitano, quod ann. 1287. Thalaſſiarchus Catalanus obtinuit, captus eſſet; fuiſſe in EDVARDI Regis Angliæ poteſtatem Aragonij Regis nutu permiſſum, notari ab eodem prætermittam; Nec diſquiram accuratiùs, vnde Aragonum ditione per Pontificiam ſanctionem & indulgentiam, ne ipſo quidem HENRICO primo Francorum Rege abnuente, multò iam ante tempus illud in nouam Regni dignitatem euectâ, tranſuectoque deinceps in Aragonios Principes Barcinonenſi Comitatu; ſuprema in Catalaniam iura vendicare inceperint, & poſſe crediderint vendicari.

Sup. c.17. num. 9.

Lib. 9. c. 1. num. 61.

Lib. 7 c. 16. num. 4.

Quid ſufficere verò poſſit, ſi non iſta ſufficiant, vt & anterioribus tranſactione à Meſpledo negatâ temporibus præſumere veriſimiliter ſaltem (vel primarijs Gallis an-

nuentibus)poſſent, quod ipſe abnuit ; & poſterioribus velut plenè ſibi conceſſum vſurparent, quod contendit non conceſſum; Niſi ſapere Meſpledum ſolum, & cœteros ineptire omnes oporteat; aut dum aduersùs Regum iura ſolis præter ipſam rerum euidentiam ſomniis, quicquid occurrit ſuſpicatur, non ſuſtineat interim vt id præſumere de ſuis iuribus IACOBVS Rex inter indicia ſaltem tanta potuerit, quod ſuis literis exarauit; eóque ob *inerrantes illi vmbras* videri falſæ omnibus hæ literæ debeant & confictæ.

CAPVT DECIMVM-SEXTVM.

Quàm ineptire videri poſſit, dum earumdem literarum falſitatem aucupari ex eo non veretur, quòd plura loca in poſteriori enumeratione concedat IACOBVS, *quàm recenſeat in priori; Et inuſitatam illam vt vocat, liberalitatem, velut iuri contrariam, ſufficiens eſſe falſi argumentum obtendit.*

QVIN & *ex vmbrà trabem* ſibi fingit, ac velut nouam nobis coniecturam obiectat, quâ ſuam falſi ſuſpicionem, vt firmiſſimâ ratione, corroboret; vacillanteſque oculos ab earum literarum aſſenſu deterreat. *Falſi argumentum eſt,* inquit, IACOBI *Regis inuſitata liberalitas, concedentis plura loca & territoria* D. LVDOVICO *in ſecundà reſumptione & enumeratione vrbium & locorum de quibus quæſtio vertebatur, quàm quæ conceſſa fuerant in primâ, & de quibus paciſcebantur. Nam ſi ipſum Regem de cauſâ ſuâ atque iuribus loquentem audiamus, nihil de* PODIO-LAVRENTII, KARBVC, *aut* CASTRO-FIDELI *dixit; quæ tamen tria loca reperiuntur in ſecundâ enumeratione, quibus etiam ſe Rex Aragoniæ renuntiare dicit. Atque adeò inuſitatâ munificentiâ Regem noſtrum ſibi*

Digitized by Google

deuincit; Illa enim quæ ſilentio ſuperiùs omiſerat, & de quibus nulla quæſtio ſuborta dicebatur, quaſi in cumulum ſuperaddita viderentur, ſubiunxit; Ac deinde concludit; *Et hæc coronis in iure ſuſpicione non caret; Eſt enim extra quæſtionem & pacta.*

Credi-ne poſſet hæc ſcripſiſſe, vt conſcriptas à IACOBO literas pernegaret, redderetque ſuſpectas; niſi oculis tam expreſſa occurrerent, & nulla non abſurda iam hactenus obtruſiſſet, quæ tam recta voluit ſuaderi? CORONIDEM profectò iis verè columnis dignam, quibus illum vidimus demonſtrationum ſuarum tantas moles tam firmiter ac ſolidè fulcientem! Quàm bellè hîc IACOBI Regis *inuſitatam liberalitatem ac munificentiam* agnoſcit; & obeſſe non exiſtimat, quin Ardeliones Aragonij ſui, aut Hiſpanienſes, vt vocat, impoſtores, confinxiſſe debeant certò credi! Quaſi *liberalem* eſſe ac *munificum*, huius arbitri ſenſu, ludionum ſchemata ſint, non ſtemmata Principum; Et plus id Regi adſcribi dedeceat, quaſi vera ſcribenti, quàm circulatori cuiuis, quaſi falſa nuganti! Aut exiſtimari per illum congruentiùs poſſint, quaſi ſuum aliquid hoſtibus *extra pacta* conceſſiſſe Hiſpani, quos fingere tamen falſa pacta cauſatur, vt nec ſua vſurpent; quàm vt Princeps hoc indulſiſſe amicis videri debeat, quem literas non ſcripſiſſe contendit. Quàm bellè cauſatur *inuſitatè liberalem*, quòd viginti iam locis tria rursùs addiderit; quem in illis ipſis viginti nihil dantem agnoſcit; nec horum quidquam pertinuiſſe ad eum ſuſpicatur, quod donaret! Quàm ſagaciter probat *inuſitatâ munificentiâ deuinciri ab illo Regem noſtrum*, quem nec admittit quidpiam conceſſiſſe, nec vel hilum in iſtis, quod concederet, habuiſſe! Quàm ſagaciter ex his omnibus colligit, figmentum eſſe quicquid conceſſione illâ, quam exprimunt literæ, continetur! Hoc eſt, non conceſſiſſe IACOBVM, quia conceſſit; non ſcripſiſſe, quia ſcripſit; nihil dediſſe, quia *inuſitatè liberalis ac munificus* fuit; & *falſas* eſſe illius *literas*, quia verè illum inuſitati muneris arguentes; aut non confectas ab illo, quia

factas! Quàm ſagaciter excogitat id *in iure* ipſo *ſuſpicione falſi non carere*, vt minus aliquid promittat quiſpiam, & plus donet! Ego ſanè, qui non æquè illi Regiorum iurium Diribitori & arbitro in iure ſcrutando ſum verſatus, intelligo quidem quàm ſuſpicione non careat, vt plus arroget ſibi quiſpiam velut ex pacto, quàm quod illi ex ipſo pactionis inſtrumento conceſſum eſt; Quia fit iniuria non volenti, cùm plus donaſſe prætexitur, quàm donare voluerit, aut ſeipſum ſignificauerit voluiſſe: At vt ipſo initi à ſe pacti Reſcripto plus concedat, quàm paciſcens mutuus expectaret, aut ſe ipſe antea conceſſurum ſpopondiſſet; parcat conſultiſſimus Anteceſſor, ſi quantum ſenſu communi capi poteſt, id repugnat meo, vt aliquam inde cum illo ſuſpicer falſitatem; donec certi quidpiam nondum expreſſum ex nouo ſuo Codice legum attulerit, quo ſua cedere vltro volentem, ſuiſque id literis exprimentem, fraudis factæ conuincat, quia plura conceſſerit, quàm ſpopondit.

An in eo fraudem fortaſſis, falſitatemque conſtituat, quòd quò plura finguntur, iactanturque conceſſa, eò vendicantur & alia tutiùs, quæ viciſſim vt mutuo vendicata conſenſu prætexuntur? Sed ſi nec ex dictis iſtud exploſum ſatis eſſet, quid hoc neceſſe fingi, velut additamentum, fuit; vbi pacta ſine illo conficta iam fuerant, quaſi mutuo nutu, conſenſuque firmata? Vel quanti fuit tria loca tantilla præ tot aliis, eorum enumerationi poſteriùs addidiſſe, vt eò æquior pactio videretur & verior? Credo, niſi tot coniecturis & ſuſpicionibus, in tantâ parcitate rationum, tam abundè inſtructus eſſet, quarum ſe poſthac tam *inuſitatè liberalem* cùm iuſſus fuerit, pollicetur; vt, quas parciùs hîc exhibitas, ampliores interim animo retinet, quia eas cauſæ Breuiarium non admittit; nunquam illi venire in mentem poſſet, vt vllum inde figmentum haberet ſuſpicari; quòd à vendicante prætermiſſa ſint, quæ idem abdicans non omiſit; aut à ſpondente non expreſſa, quæ concedens expreſſit; Et enumerationem primam, quâ præſumptionem ſui iuris IACO-

BVS.

Google

BVS explicat, conceſſionem eſſe prætexeret, quâ remittit; adeóque nec exprimere illum in poſteriori debuiſſe, quod non expreſſit in priori.

Non expreſſerit verò primùm, ſubindicauit tamen pluſquam ſatis; cùm tot iam terras, quibus tota propemodum Vaſconia & finitimæ Prouinciæ continentur, accuratè præfatus; earum etiam *pertinentias omnes*, vt loquitur, *ac diſtrictus* adiungit. PODIVM porrò LAVRENTII vnum ex tribus illis poſteriùs numeratis ac omnium primum, Comitatu Toloſano antea ſpeciatim expreſſo contineri, diſcere iterum à Valſernenſi potuiſſet; proindeque ſatis in *diſtrictibus* ac *pertinentijs* intelligeret indicatum. An & eodem ambitu contineri alia duo verum ſit, non certò ſcio; quia nec in promptu occurrit, vnde diſcerem; nec tam otioſo vacauit, hæc tam pertinaciter indagare tam leuia, quæ futilia verè hîc, ac *extra quæſtionem* otioſè obtruſa dici poſſint; Sed ad eundem tamen cum PODIO-LAVRENTII diſtrictum, vel finitimum alium pertinere, ſatis ipſe loquendi modus indicat, quo permixtim inter ſe coniunguntur; atque adeò ſimul, etſi expreſſa non fuerint, in ipſo *diſtrictuum* aut *pertinentiarum* nomine fuiſſe cum cæteris intellecta. Et eſſe quidem ratio potuit, cur non primùm exprimeret; quia nihil intererat expreſſiſſe, cùm tot alia ſibi iura præſumit; quibus expreſſis indicata videri, quantum ſatis, iſta poſſint, ac mox præſertim abdicanda; Eſſe potuit etiam cur exprimi ab eo poſteriùs oporteret; quia ſpeciatim intererat, cùm præſumpta dimittit; ne qua vel tenuis vmbra iuris offundi deinceps propter illa poſſet, vt non expreſſa ſpeciatim retinuiſſe ſibi fraudulenter videretur; quæ SIMONI MONFORTIO ſub clientelâ PHILIPPI AVGVSTI, ac per expetitam illius inueſtituram illa ipſa cum cæteris aſſequuto, iam erepta; quæ RAYMVNDO Comiti Toloſano ſub Regis Aragonum PETRI Parentis protectione pugnanti reddita, & vt nominatim de PODIO-LAVRENTII Valſernenſis teſtatur, armis illius occupata; quæ ſubinde ad AMAL-

Cap. 58.

Digitized by Google

Sup.c.58. RICI MONFORTII ceſſionem LVDOVICO VIII. factam eò minùs pertinere credita; Dominij titulo ſingulariùs vendicata ſibi IACOBVS ac aſſerta præſumeret.

Vtcunque tamen iſta ſe habeant; quid magni eſt Meſplede, vt præter omnium fidem fictæ literæ conuincantur; quas tam facile fuit cautiùs confinxiſse, ſi quid cauſæ noceret hoc ipſum quod tam ſeriò explodis? Aut quid illud Hiſpanis Ardelionibus tuis videri poteſt, niſi magno conatu iactare magnas nugas, quaſi & illis vniuerſa iura ſuccurrerent, inuictiſſimè confirmandis.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

Quàm incauto denique ac obtuſo argumento falſas literas euinci à ſe putet, quia Petram-Pertuſam Rex Aragonum deinceps in ſuâ poteſtate retinuit.

PIGET in iſtis ita diſtrictim immorari, ne ipſe quoque illa perſequi otioſiùs videar, quæ ab illo ſtatim otiosè iactata ſatis agnoſcere quiſque poſſit; Sed omitti nihil debuit quo nitatur, vt eò ampliùs ac diſtinctiùs pateat, quàm prudenter ac meritò tam inanibus figmentis, & ſuam ipſius nouam de his literis mentem; & Galliæ dignitatem ac iura niti, fulcirique confidat. Vnum ſupereſt, perficiendæ huic parti quam exequimur, paucis pro illius decurſu lineis euoluendum; eatenus dumtaxat, quà retenta deinceps ab Aragonio iura ſpectat; non quà reſpicit noſtra, peculiari ſtatim diſcuſſioni alium in locum reſeruata. *Indicium quoque falſi eſt*, inquit, *cùm venditor, vel qui ius ſuum renunciauit, ſtetit ſemper in poſſeſſione donec vixit; Nam tunc fraudis ac falſitatis coniectura ſumitur*; vt *in ſpecie reſpondiſſe* Ruinum & Bartolum addit; Subindeque aſsumit *tertum eſſe* Petram-Pertuſiam *manſiſſe in poteſtatem Regis Aragoniæ & adhuc manere, quemadmodum & eſſe vehe-*

Pag.98. quæ malè notatur 96.

mentem ex parte Regis Franciæ *coniecturam* proſequitur, quòd CATALANOS *Imperio* D. LVDOVICVS *non exemerit*; Sic enim cum particulâ negatiuâ, etſi typis omiſsâ, legi ſenſus illius poſtulat, quo contendit non exẽptos; propter id ſcilicet, quod PHILIPPVS III. præſtitit, ad peculiarem inferiùs diſquiſitionem reſeruatum. Ac ex eo concludit *falſi coniecturam veroſimillimam* erui, *continuata poſſeſſionis argumento* firmatam.

Vt enimverò, quòd ad præſens attinet, in ſolâ hæream PETRA-pertuſâ, quæ ad impingendam IACOBI literis falſitatem ac fraudem velut quædam illi *Petra ſcandali* dici poſſit; aut vt qualem alii vocant Peram illam pertuſam explorem, ex quâ tam limpidum lapidem diſiiciendis Hiſpanienſium auſibus tam opportunè ſibi videtur eruiſſe; Vllum-ne obtuſius argumentum afferri à quoquam pro ſententiâ ſuâ poſſet, quam quo potiùs contrariam ita confirmet ac ſuadeat, vt ſi reu incendum ſeipſum ſuſcepiſſe datâ operâ videretur? Nec ſaltem aliud voluiſſe, quàm vt in *ſacculum pertuſum* verba fundens, operam perderet: dum quid loquatur, non aduertit: Quidni aduertit, quod ab Illuſtriſſimo Præſide Petro de Marca iam notatum aduertimus, vt *Petra-pertuſa* in poteſtate Regis Aragonum veteri jure non fuerit; in eoque decepti ſint Fuxenſes hiſtorici, qui Fuxi Comitibus ab eo permiſſam, reſeruatis feudi iuribus, venditarint; adeóque non aliter pertinere ad illum inceperit, quàm tranſactione illâ ipsâ, IACOBI literis commendatâ, cuius vnà cum illis falſitatem euincere inde contendit; Et hoc eſſe potiùs argumentum debeat, quo veræ inprimis eæ literæ comprobentur, quòd Petra deinceps pertuſa in Regis Aragonum poteſtate perſtiterit, velut Franciæ Regis nutu, conſenſuque conceſſa? Quidni aduertit, quod & aduertimus ex Catello, vt LVDOVICO octauo S. LVDOVICI Parenti pro Petra-pertuſa cum Vice-comitatu Fenolhedes hominium à Ruſſilionenſi Comite præſtitum ſit, ſaluâ fidelitate quam Aragonum Regi aliunde præſtare teneretur: Ac proinde ditio illa non aliter in Ara-

Pag. 59.

Lib. 18. c. 13. num. 8.

gonum poteſtatem ac Dominium, quàm eâdem tranſa-ctione ſucceſſerit, cui hoc ipſo exiſtimat refragandum? Quidni aduertit, quòd in ipsâ literarum clauſulâ continetur ita expreſſum, vt remouere ſcrupulum omnem poſſit, quo ſe hac in parte ſenſerat commoueri, vt eas falſi
Pag. 65. putaret arguendas? *Condictum eſt tamen*, inquiunt, *quòd ſi aliqua feuda de Dominatione Fenolhedes ſita ſint infra terminum Comitatûs Ruſſilionis aut Viſuldunenſis, ſeu aliorum Comitatuum prædictorum* (*Barcinonenſis, Vrgelli, Empurdanenſis, Ceritanenſis, Confluentiæ, Gerundenſis & Auſonenſis*) *de quibus quitationem nobis facit Rex Franciæ memoratus, Penes nos & hæredes ac ſucceſſores noſtros perpetuò remanebunt, &c.* Inde planè colligeret, quòd quia Vicecomitatui Fenolhedes iuncta Petra-pertuſa ſatis intelligitur ex iam dictis, eademque infra terminos Ruſſilionis non obſcurè colligitur contineri; ex cōdicto illo ſubinde ad Aragonum Regem pertinere poſtea debuit, cùm RuſſilionisComitatum pleno ſibi deinceps jure per commutationem vendicauit: Indidemque intelligere ſatis
Pag. 61. & 62. poſſet, cur Petræ-pertuſæ Dominio primùm ſua inter jura nominatim recenſito, quia ditionem illius eo ipſo iam tempore præſumebat; recenſere tamen illud IACOBVS omiſerit, vbi præſumpta iam abdicat; quia ex condicto illo ſuo intelligebat apud ſe deinceps remanſurum. Alioqui cur iſtud potiùs quàm cœtera enumerata omnia reti-
Pag. 65. neri ab illo vel reticeri contigiſſet? Aut quale illud argumentum eſt, vt hoc vnum Dominium præ tot alijs aſſumatur, quo falſæ probentur idcirco literæ, quia retentum ſemper, & abdicatis licet cœteris, reſeruatum? Quidni veræ potiùs ex abdicatis illis, quàm ex retento iſto falſæ debeant comprobari? Aut cur illius juri, licet poſteriùs retinendo, renuntiatum ex earum tenore prætexitur, vt obtendi falſæ poſſint; cùm Renuntiationis ipſius verba ne veſtigio quidem quidquam tale contineant; & potiùs non renuntiatum eſſe ſignificent, ſed maiorem adiectam firmitatem; vt eò ampliùs veræ debeant ob hoc ipſum haberi, ac reipsâ confectæ?

Non

Non dubium quin ſi hæc ſimul cum cœteris hactenus annotatis aduerteret, non *inerrarê ſibi falſitatis* vmbras vllas pateretur, quæ fallaces eas ac fictitias exhiberent; nec *indicijs & præſumptionibus*, & *conjecturis* & *ſuſpicionibus* tam vmbraticis; aut illudi ſibi mentem ſineret; aut illudere Galliæ auderet; aut eam, quà per illum licet, illudendam hoſtibus propinaret; aut prolatis à me tam inſignibus viris hanc notam affingeret, vt hoc ipſum quod probarunt *nullũ habere probatæ fidei authorem veritatis ſuæ teſtem aut vindicem aſſereret*; *ſed hiſtoriã omnem Anachroniſmis & alijs coniecturis quaſi inuſtis ſtigmatibus, vt plagiarij alicuius opus præiudicio damnatum, traducere* tam audacter oſtentaret; aut ſibi potiùs vni ſannas eorũ ac ludibria per tam apertas illuſiones accerſeret, quorum fraudes detegere tam ſagaciter, & conuincere tam certò deſpondet impoſturas.

Ac eò certiùs quidem, quid hac in re præſtiterit, quiuis Lector intelliget, cùm cœtera mecum argumenta excuſſerit, quibus ipſam per ſe tranſactionem eludere tam ineptè contendit; Et quæ, dum quot apices, tot apertas continent falſitates; tot ſubinde ludibrij apud hoſtes, quos laruis tantùm terreri vult, incitamenta ſuppeditant; & ſuam Galliæ abdicant, quàm vindicatam oſtentant, dignitatem.

SECTIO III.

Diſquiſitio propria eorum quæ citra literarum ipſarum tenorem, qualeſcunque videri poſſint, velut inſititia momenta proferre pergit, ad ipſius tranſactionis falſitatem, vt iactat, conuincendam.

CAPVT PRIMVM.

Quàm fraudulenter vel ineptè falſam eam ex veterum Hiſpanienſium Scriptorum de illâ ſilentio conuincendam contendat, quam tamen multò ante ab Aragonijs meditatam, & ab Hiſpano inſigni RODERICO prænuntiatam, oſtentat; ſimulque non eandem intellectam addit, tantoperè ſibi conſtans & conſentiens.

QVANTVM igitur ex ijs, quæ reliquis omnibus iam excuſſis hinc inde ſparſim adijcit, erui à me poteſt, eiuſmodi quędam ſunt hoc loco ſeorſim diſquirenda, quibus ipſam per ſe tranſactionem aggreditur, vt euincat nunquam factam. A Scriptoribus incipit, quos negat aliquid eâ de re vetuſtiori æuo ediddiſſe, quod ſæculis poſterioribus conſignarent; *Prima*, inquit, *ſuſpicionem falſi ſuggerit mihi altiſsimum ſilentium Scriptorum vtriuſque gentis, qui de rebus eo ſæculo geſtis egerunt.* Additque *hoc argumentum, quamuis in rebus quæ ſunt iuris nihil valeat, in ijs tamen quæ ſunt facti, non eſſe omnino inutile*; Tum proferre noſtrates aggreditur, quibus Hiſpanienſes ipſos poſtea in maiorem coniecturæ confirmationem adijciat; vt ſupereſſe dubitandi locus non poſſit, vbi vel Hiſpani ſilent,

quod in propriâ causâ non potuiſſent non iactare. Sed primo iſtos loco expendi iuuat; vt ſeriem illius nihil morati, velut ab exoticis ordiamur, quorum à nobis minorem haberi rationem oporteat; Subindeque progrediamur ad propria, quibus non aſſentiri quaſi domeſticis non poſſimus.

C*onfirmat*, inquit, *coniecturam veterum Hiſtoricorum qui de rebus Hiſp. ſcripſerunt, de pace atque compoſitione ſilentium; Nam ante Franciſcum Taraſam & Ioannem Marianam nemo tranſactionem hanc obtruſit*; Pergit, *mirabile id eſſe in Taraſa, quòd Barcinone natus, quòd Barcinonenſis Eccleſiæ Canonicus; quòd adeò ſciens rerum* Catalanicarum *vt vetera Prouinciæ nomina reuocet*, &c. *in tantâ nihilominus rerum ſuarum aut verâ aut fiduciariâ cognitione neminem illius gentis aut Authorem, aut teſtem habere potuit, quem produceret; Et neſcio quem implorauit* MICHAELEM RITUM *Neapolitanum; At ætatem hominis atque conditionem ſcribere debuerat, vt ex his veſtigia veritatis legeremus.* Pag. 77.

Tantas-ne ſemper ineptias in re tam ſeriâ tam inanes! aut technas & fraudes, quas Hiſpani rideant, tam obtuſas? Tu-ne, Meſplede, primus poſt quadringentos fermè annos negare id audeas, vt ipſe profiteris, quod aliunde Galli omnes affirment, & pro quo tamen velis vel maximè tibi credi neganti; nec Hiſpanis toto vel ampliùs etiam ſæculo vetuſtioribus credi pro illo velis quod affirmant; quia nullus ante illos Hiſpanus affirmauit; ſed & nemo eſt qui negarit? Tu-ne haberi tibi fidem eâ in re quæ Gallici iuris intereſt, tam confidenter ambias; quicquid repugnent Senatores; quicquid edicant Præſides; quicquid Sacri Conſiſtorij Regij Comites refragentur; Et Scriptorem explodas, ea ipſa teſtantem, quibus nemo diſſentit; quin ad vnum omnes, te ſolo præter omnium ſenſum refragante, conſentiunt? Explodas verò, quia *ætatem illius & conditionem neſcis*; quam non neſcires vtique, ſi Annalium Hiſpanicorum Digeſto adſcriptum illum, non alieno tantùm indicio, vt & cæteros, inſpexiſſes? Eum ſcilicet neſcio quem Anteceſſori Cadurcen-

ſi conferri non deceat, vt æqua illi fides haberi debuerit, idem ſentienti cum omnibus; ac tibi diſſentienti ab omnibus, aut quod omnes affirmant, abnuenti? Tu-ne oſtentare auſis *eorum* hac in cauſâ *ſilentium*, *qui de rebus Hiſp. ante Marianam, Taraſamque ſcripſerunt*; & proferre neminem poſſis, qui vtrumque ſcribendo præceſſerit, ex quo tempus tranſactionis initæ deſignatur; ac vel totam ſuæ Gentis hiſtoriam, vel monumenta rerum Aragonenſium vniuerſa, vel res ad idem tranſactionis tempus aliunde geſtas, in toto illo terrarum ambitu conſignarit? Tu-ne ſaltem Taraſam *adeò rerum Catalanicarum ſcientem* profiteri non abnuas, Barcinone natum; Barcinonenſem Canonicum; in mediâ ſuæ Gentis luce ſcribentem; Et eâ in re tamen quæ Catalanos tam è vicino ſpectet, Cadurcenſis tu deſpiciendum putes, tibi aliud ſcribenti refragantem; quia nihil ante illum tale ſcripſerunt, qui nec omnino ſcripſerunt aliquid, quod ad ea tempora vniuerſim pertineret?

Age, ſi quem illo vetuſtiorem producis, qui eam tranſactionem aut negarit factam, aut non factam notarit, etſi cœteris ad ea tempora pertinentibus annotatis, conijcere te prudentiſſimè arbitremur; At ſi nec vllum euoluiſſe te indicas, aut euoluere potuiſti; nec mihi accuratiùs inquirenti occurrere vllus in Hiſtoriarum Codice tot inter alios potuit, quem euoluerem; Quid cogitari à te oportuit, cùm tam inanem inde coniecturam eruebas? Næ, tam lepidum id à te obijci, quo tranſactionem euincas fraudulenter obtruſam; ac RODERICVM Toletanum, *qui ſcribere*, inquis, *ann. 1242. deſiit*, à te proferri, vt eam ab illo contendas & ſimul neges annotatam; quàm bellè! quàm cohærenter! quàm concinnè! Nunc *tuo iudicio fœlicius* quàm vterque ille *ſcripſit*; Et cùm ſit tamen *perpetuus hoſtis gloria Regum noſtrorum, ac maligniſſimus mendacitiorum artifex, concedit quidem Regi Franciæ partem Catalaniæ, Tarraconenſis, Gerundenſis, Auſonenſis, & Vrgellenſis Territoria; Sed Comes*, inquit, *Barcinonæ dicit ſe tranſactione ab eius feudo liberum*; Ac iis verbis, *non tam* Pag. 57.

Hiſto-

Hiſtoricum, qui præterita aut præſentia poſteris tradit, quàm vatem tibi agit, qui futura prædixit; Nunc hinc inde pen- Cap. 58.
dulus, *quænam ſit ea tranſactio, quâ ſe Comes Barcinonenſis ann. 1242. immunem iactabat*; Et an eam intelligat RODERICVS, *quæ ſedecim annis poſterior, inter* D. LVDOVICVM *&* IACOBVM *Aragoniæ Regem pacta dicitur*, huc propendes; Ac ex hoc ipſo concludis *aut vatem fuiſſe* RODERICVM, *aut concepti ſceleris, ſed nondum perfecti proditorem*; Quippe quia *quam Aragonij ducentis poſt annis tranſlationem iactaturi erant, & quam iam tum moliebantur falſitatem, patefecit*; Quin & illud politicâ mente adijcis, *Et verò nouum non eſſe, ingentium ſcelerum arcana conſilia ab imprudentibus coniuratoribus ante prodi quàm patrentur*; Nunc *homo Caſtellanus qui de ſolâ famâ res Ara-* Cap. 59.
gonij Regni callebat, prænuntius tibi videtur fuiſſe eius fraudis, quam plagiarij Ardeliones Aragonij in gratiam ſuorum Principum architectabantur aduerſus Regum noſtrorum iura; vt his veluti proluſionibus de famâ atque teſtimonio exteri Scriptoris petitis deſtinata animo perduellioni via muniretur; & in tanti Archiepiſcopi fide & auito Comitum ſuorum iure, & authenticis inſtrumentis, non tam aliena vſurpare, quàm ſua deinceps tueri viderentur; Ac poſtremò iſta tam concinna concludens; *Quam igitur*, inquis, *tranſactionem præſenſit & præſcripſit* RODERICVS *ſexdecim ante annis quàm natalis eius annus verteretur; trecentis poſt annis timidè & clanculariò ſubmiſerunt nuperi Aragoniæ hiſtoriæ Scriptores*, &c. Eâdemque illa, ſi vera eſt, ab Imperij Francici ditione plenè ſolutos arbitraris.

Quæ non hîc vndequaque myſteria! Tranſactionem iſtam ante Marianam & Taraſam nemo prorſus obtruſit; Et RODERICVS tamen *trecentis & ampliùs annis* vtroque antiquior eam prædixit nondum factam! Fœliciùs vtroque illo ſcripſit, qui Catalaniam vniuerſam tranſactione immunem dicunt; quia de ſolâ Barcinonenſi ditione hoc dicit; imò non tam dicit, quàm à Comite ipſo Barcinonenſi dici refert; ac reliquam interim Catalaniam noſtris Regibus tunc aſſignat; Et eorum tamen

perpetuus hoſtis ac malignißimus mendaciorum artifex, aduerſùs eorum iura cum Aragoniis coniurauit, qui exemptam obtendunt vniuerſam; ac *prænuntius fraudis* fuit, quâ *plenè ſolui ab Imperij Francici ditione* contendunt. Homo Caſtellanus res Aragonici Regni *famâ ſolâ callebat*; ſcilicet nihil ad ſuam gentem eo tempore pertinentes; Et tamen conſilij tam arcani coniurator imprudens, *conceptique* ſolùm, ſed *nondum perfecti ſceleris proditor, falſitatem patefecit*, quæ totis poſtea ſæculis iactari cœpit ab iis ac ſubmitti, qui eam *in gratiam ſuorum Principum* conceperunt: Prænuntiauit tanto ante ſpatio illam, quam & ipſi *iam tum moliebantur*, tam opportunam eorum commodis *falſitatem*; Et in tanto tamen ſæculorum ſubinde plurium interuallo, nec in animum illis venit, vt & eam oſtentarent, & ad oſtentandam vaticinio illius vterentur, & ſuorum aliquem ſubmitterent, qui iactaret; perficique per ſpatia tanta oportuit, quod *tandiu fuerant machinati*! Tantæ molis erat tantillam condere fraudem! certè tam otioſam & obtuſam: Proludere alienæ fraudi *Scriptor externus* debuit; ſeu *Plagiarijs* vir tantus; *Ardelionibus Archiepiſcopus*; *Aragonibus Caſtellanus* colludere, *vt viam perduellioni iam animo deſtinatæ muniret*; fortè, quia, vt vates tibi eſt, Aragonicam aliquando ditionem Hiſpanienſi demum Regno adijciendam præſciebat; Ac id agere quidem debuit, *vt in illius fide* auitum Comitum *ſuorum* ius reponerent fraudulenter; Et *authenticis* tamen *inſtrumentis* niſi hoc ipſo habuerint, *vt ſua deinceps tueri viderentur*; Nempe authenticis nomenclaturâ tuâ ſimul & confictis; aut ab vnius exteri teſtimonio tam alieno pendentibus! Tranſactionem obiter indicauit, quâ iam ante annum 1242. Barcinonenſis Comes immunem ſe diceret; ac ſolus quidem illud inter cæteras Catalaniæ partes obtenderet; Quin hoc ipſum eo capite annotauit, quo CAROLI-MAGNI res narrat, ac vel ſolo notationis modo ſatis eo tempore prætextum id ſignificat, quo nondum Catalaniam ſibi Aragones vendicarant; dum Comitem Barcinonenſem nude vocat, &

à Catalaniâ reliquâ diuidit; vt Regibus adhuc noſtris obnoxiâ, cùm ſe ille prætexeret iam immunem: Et tamen eam tranſactionem intellexerit; quam Aragonij anno 1258. factam iactant, vt Catalaniam ſibi totam *ab Imperij Francici ditione plenè ſolutam* arrogarent; ac vel ipſas quas RODERICVS immunes negat, ditiones, vnâ ſimul immunitate continentem; Nec præterita vel præſentia tradidit, ſed futura prædixit. Ac præteritam quidem aut præſentem non potuit tradere, quia nullam exiſtimas ante factam; Prædicere tamen futuram potuit, etſi nullam contendis fuiſſe poſtea faciendam; fingique ab illo non potuit, quantumlibet finxeris, quod iam factum conſignaret; & fingi tamen faciendum potuit, quod obtrudere alij poſt tot annos, quamuis ad ſeipſos pertinens, vix auderent! Sedecim denique annis antequam *tranſactionis illius natalis annus verteretur*, eam ipſe præſenſit ac præſcripſit; Et tamen trecentis pòſt annis adhuc in cunis erat; adhuc obuoluta faſcijs deliteſcebat in angulo; adhuc prodire quaſi greſſu non confirmato vix audebat; Imò quæ hiſce trecentis poſt Rodericum annis timidè tantùm prodibat, & iamtum fortaſſis tui metuens, nonniſi clanculariò caput velut postico efferebat, annis tamen poſt eundem ducentis, palàm ab Aragonijs iactabatur; adulta toto ſæculo antequam penè infans; adhuc infans tertio ſæculo poſtquam nata; ſeipsâ ſimul, circa momentum idem, maior & minor centum annis; imò ſic nata, vt non nata; ſic facta, vt conficta duntaxat; ſic progreſſa, vt nullibi extans; ac demùm ſic ſe palàm oſtentans, vt ignota.

Hæc, Meſplede, myſteria nobis tanta in illo Roderici Vaticinio tam ſagaci exhibes; quæ niſi à te, credo, detegi, euoluique non poſſint: dum poſteriorem obitu ſuo tranſactionem prænuntiaſſe illum contendis, quam ſubinde tam diuerſam Aragonij iactitarent! Quid quòd eam ab illo, ſimul vno contextu, non intellectam indicas, & contendis intellectam? Ac ſaltem inferiùs negas eandem eſſe illam, quam hîc eſſe affirmas tam ſolerter;

cùm ex Mariana velut hoc fatente præfatus *Gallorum imperium in* Catalaniam *ſtetiſſe adhuc anno quo exemptam dicit* (nimirum 1258.) hinc *falſum eſſe* infers *quod* Rodericus dicit, *Comitem Barcinonẽſem gloriatũ aliquando de tranſactione*, quæ illum *ab imperio Regum noſtrorum* exemiſſet; Vtique narrationem illam ad ea tempora manifeſtè referens, quæ hanc poſteriorem præceſſerunt; Vt omittam quod iam antea tam ex aduerſo notaueras, ea eſse ad annũ 1137. quo Regnum Aragoniæ cum principatu Catalaniæ coiuit, ab Aragonum Regibus tentari cœpta, quæ illam à ditione *imperii Francici* ſolutam oſtentarent; Synodique Terraconenſis Decreto ad ann. 1180. paratam iis iuribus viam *quā deinde Aragonici Reges aduerſùs Principes noſtros obtenderunt*; Ac tandem *quod tentare auſi non ſunt Comites Barcinonenſes, quamdiu eorum Principatus viribus ſuis ſtare nõ potuit, id eos, vbi coniugii fœdere in vnius Regis Aragonii poteſtatẽ venit, per Eccleſiæ authoritatẽ eſſe conatos.* Adeo tibi conſtas, vt *Hiſpanienſem impoſturam* programmati tuo inſcriptam, euertere tam firmo conatu poſſis; & tam certis contendas argumentis aggredi conuincendam! Quî certiùs verò poſses ac firmiùs, quàm vt à Roderico, quantum quidem tam cohærenter exiſtimas, prænuntiatam ac præſcriptam, ſubinde tamen ab vllo veterum ſcriptam pernegares; & ex eorum ſilentio probares nunquam factam, qui niſi fortè ideis tuis nihil omnino de rebus Hiſp. ſcripſiſſe fingi poſſunt: ac nulli reipsâ, qui iam à te notatos præceſſerint, vel Aragonij vel Hiſpanienſes hiſtoriæ Scriptores extiterunt?

CAPVT II.

CAPVT SECVNDVM.

Quàm & ad hominem conuinci rurſus poſſit, cùm Aragonium ſaltem Scriptorem vnum Çuritam à diligentiâ laudat; nec reiectis licet alÿs tantillùm reprehendit; etſi apertiſſimum etiam tranſactionis huius teſtem.

ID ſaltem cautiùs effeciſset, vt dum eorum qui nec hiſtoriam ſcripſerunt, fauentem ſibi reticentiam oſtentat, quam poſteriorũ impoſturis opponi glorietur, neminem ex his ipſis exceptum vellet, cuius vereri teſtimoniũ ſuâ ipſius confeſſione, deberet. Sed interim dum vetuſtiores illos, quos effingere illius Ideæ potuerunt, euulget ac publicos faciat; patietur vt vel aliquem illi recentiorem obiiciam, quo non poſſit, vt recepto apud ſe laudatoque arbitro, non conuinci. Non illum *Taraffam*, *qui falſi ſuſpicionem*, inquit, *non diluit*, *ſed* Pag. 75. *confirmat*; Non Marianam illum, *in cuius narratione licet cautiùs & ſolertiùs concinnatâ*, *non deſunt tamen quædam* Pag. 78. & 79. *falſi præſumptiones*, *ſi exactè*, vt pergit, *expendatur*; *eædemque ac plures recurrunt difficultates*, quas in Taraffa iam notauit; Non Marinæum Siculum, *cuius fides apud illum* Pag. 11. & *admodùm nutat* & in cuius monumentis *quot verba*, *tot ad-* 43. *uersùs verum rerum ac temporum rationem peccata* deprehendit; Non Franciſcũ Didacum, cuius etſi verba *ma-* Pag. 47. *gno* rurſus *artificio* contexta profitetur, *habere tamen ſuas rimas* addit, *per quas violata veritatis ſtricturæ emicant*, *& vſurpati ab Hiſpanienſibus Imperii crimen proditur*; quam- Pag 18. & libet illum etiam alibi laudandum putet, quòd *liberiùs &* 19. *veriùs noſtrorum Scriptorum fidem Hiſpan. teſtimonio præferendam cenſuit*; Ac rurſum, quòd cautiùs ea narret quæ narranda ſuſcepit; Non denique Michaelem illum Ri- Pag. 45.

Digitized by Google

tum ſiue Ritium Neapolitanum, cuius *cõditionem* neſcit, vt dignum nec ne cenſeat, vnde aliqua *veritatis veſtigia* legi poſſint; Sed eum ipſum Çuritam ſaltem, qui *diligens hiſtor. Aragonica Scriptor* viſus illi eſt; & ad magnum apud omnes, qui hunc arbitrum rerum ac ſcriptorum libellum legerint, honoris incrementum; nullam in eo cenſuram, etſi cœteris tam diſtrictè inflictam, non minimùm fortunatus incurrit.

Pag 39.

Sic igitur ille Hiſpanicè, ne quis confictum à me vel adulteratum ſuſpicetur. *Partiò el Rey en el principio del año del nacimiento de nueſtro Señor de MCCLVIII. del Reyno de Valencia para irà Cataluña, y paſſar à Monpeller, porque eſtaua concertado que ſe vieſſen el y el Rey de Francia, &c. Luego paſſo el Rey à Monpeller; y eſtando en aquella villa, ſe concertò con el Rey de Francia en las differencias antiguas que tuuieron ſus predeceſſores; y confirmaron vna perpetua paz y amiſtad entre ſus caſas; y para eſtò ſe determinò que ſe vieſſen en vn lugar que ſe dize Corbolio. Eſtò fue por el Mes de Mayo deſte año de MCCLVIII. y a onze de aquel Mes ſe concertò entre ambos Reyes de tal ſuerte, que el Rey de Francia renunciaua el derecho que pretendia y alegaua tener por el feudo antiguo ſobre los Condados de Barcelona, Vrgel, Beſallu, Roſſellon, Ampurias, Cerdania, Conflente, Girona y Oſona, y ſus villas y Caſtillos; y el Rey d' Aragon por el de Carcaſſona, &c. Entonces ſe confederaron en muy eſtrecha amiſtad, y ſe concertò caſamiento entre la Infanta D. Yſabel que fue la hija menor del Rey d' Aragon, con Phelippo hijo primogenito del Rey de Francia. Fueron embiados por embazadores para tratar eſte Matrimonio*, &c. Quæ Latinè ſic proſequor; Profectus eſt Rex in principio Anni à Natiuitate Domini noſtri MCCLVIII. è Valētię Regno Catalaniam petiturus & Montepeſſulano tranſiturus; propterea quòd communi conſenſione condictum eſſet, vt is & Rex Galliæ in mutuum conſpectum conuenirent &c. Rex igitur Montem peſſulanum commeauit; Cumque illic eſſet, ſubinde inter illum & Regem Franciæ de diſſidiis antiquis diſceptatum eſt, quæ Prædeceſſores vtriuſque iam antea inter ſe diſceptarant; Ac perpetuam

In Annal. Aragon. ann. 1585. editis lib. 3. cap. 56.

deinceps inter ſuas vtrinque domos pacem & amicitiam confirmarunt;ob eamque cauſam condictum eſt, vt in loco, qui Corbolium dicitur, alter alterum conueniret. Id menſe Maio huius anni MCCLVIII. contigit; & illius Menſis vndecimâ die inter ambos Reges ita conuênit, vt Rex Franciæ renuntiaret omni iuri quod in Comitatus Barcinonæ, Vrgelli, Viſuldul. Ruſſilionis, Empuriæ, Cerdaniæ, Confluentiæ, Gironæ atque Auſonæ cum ſuis vrbibus & Caſtellis obtendebat, aut feudo antiquo ſe habere dicebat; Rex autem Aragoniæ pro Carcaſſonæ feudo, &c. Tunc inito fœdere ſtrictiſſimam inter ſe amicitiam contraxerunt; Et Infantis D. Yſabellæ, quæ Regis Aragonum filia minor fuit, cum primogenito Regis Franciæ filio PHILIPPO Matrimonium agitatum eſt; Ac ſubinde Oratores, qui ei paciſcendo incumberent, deſtinati.

Hæc Çurità, Meſplede, quem neſcio an aduerteris id ſcribentem, cùm diligentem in ſcribendo laudaſti; Nec dubito, quin iam tandem aduertens, idem in illo quod in aliis reprehendas; diſcutiendum inferiùs, cùm de Antilogiis tuis ad euincendam certiſſimam veritatem tam otioſè à te confictis, tamque incautè ac futiliter oſtentatis. Interim habes, quo velut ad hominem conuincaris, dum cuius diligentiam in ſcribendis Aragonicis rebus laudas, tuam ipſe ſententiam in Aragonum tranſactione abnegandâ, ſuo teſtimonio refellit & condemnat.

Sed Hiſpanos non moror, nec tu aſſentiri cuiquam velis, qualeſcumque protulerim; niſi & noſtri, quos eorum præſtigiæ non deluſerint; qui Marianā Taraſamque præceſſerint; qui explorata certiùs habere vetera monumenta potuerint; id teſtentur. Hoc expendi iam iuuat.

CAPVT TERTIVM.

Quàm ſtupendâ cæcitate, vel quàm intolerandâ, ſi licet, impoſturâ, tranſactionem illam neget à Scriptoribus Gallis vetuſtioribus, & præſertim à Guillelmo Nangiaco, etiam otiante, annotatam.

ET iſto quidem argumento ita ſe tutum putat Anteceſſor, vt nullum ferè maiori faſtu oſtentet; nullo impotentiùs cum aperto cœterorum deſpectu ac ludibrio glorietur. Quid enim poſt altiſſimum Hiſpa-
Pag. 70. & ſeq. nienſium ſilentium ventilatum? *E noſtris*, inquit, *nemo qui* D. LVDOVICI *aut* PHILIPPI III. *cognomento Audacis, hiſtoriam attigit, ne verbo quidem, huius tranſactionis meminit; quam tamen neminem omittere par fuit, vtpote rem grauiſſimam, & dignam quæ poſteritatis memoriæ cõmendaretur, &c.* Et mox id exemplo confirmans pergit; *Guillelmus de Nangis*, &c. *accuratè res à* D. LVDOVICO
Pag. 71. *geſtas deſcripſit, tantâ aut diligentiâ aut otio, vt cùm grauia deſunt, minuta & leuia quæque annotet, &c.* Inter alia porrò, *Magnos & aſſiduos imbres*, inquit, *corruptaſque ſegetes,*
Pag. 72. *acerbaque vina memorauit, de quibus ait quòd cum remorſu & vultûs impatientiâ bibebantur;* Ac ſubinde addit, *In tanto otio ſcribendi has nugas, vbi authoris mens atque iudicium, ſi tam memorabile duorum Regum fœdus ſilentio præteriſſet?* Quin & ſubijcit, vt *idem anno ſequenti* 1259. *pacem pactam inter Henricum tertium Angliæ Regem &* D. LVDOVI-
Pag. 73. CVM *accuratè deſcribat*; Subindeque alijs id genus annotatis, aſſumit, *Inter hæc pacis ſtudia & exẽpla, nulla mentio huius*, &c. Et quaſi hoc ſilentio quod iactat victoriam ſibi buccinans, *Vnde tanta obliuio*, inquit, *aut incuria Scriptorum in re, omnium à S. Rege geſtarum, hiſtoria monumentis digniſſimâ?* Tum deinde concludit, *Argumentum ſanè non infirmum ſuppoſititij partûs*, &c. Quid ampliùs, quòd

poſt

poſt multas paginas, *Hæc tranſactio*, inquit, *Scriptoribus omnibus qui trecentis annis ab illius natali vixerunt aut ſcripſerunt, ignota fuit; & quaſi furtiuus partus in tenebris editus obſcuriſsimos parentes habet & nouellos; habita ratione ætatis ſuæ*; Nam primus qui illius meminit eſt *IoannesTaraſa*, *qui teſtem profert neſcio quem* Michaëlem Ritum, & cætera. Pag. 94.

Adeo-ne? Tam confidenter? tam falſa? tam cuiuis obuia? tam facilia quæ vel de triuio Lectores deprehendant? O fiduciam! Credo, quæ nulli alteri nota Scriptori talis & tanta, hunc parentem habere ſolum poſſit; nec obſcurum quidem, ſed in publicum prodire, vel cum iſto ſtigmate, geſtientem! Niſi aberratio; niſi cæcitas; niſi incuria; niſi obliuio, quæ vel illi Ioannem pro Franciſco in Taraſa obtrudit; ne tantam, quæ tolerari minùs debeat, in tantâ inſultatione ſuſpicari nos oporteat impoſturam! Nemo noſtratium hiſtoricorum eſt; Nemo eorum qui apud nos verſati ſunt, & in oculis noſtris ac ſinu vixerunt, ſcripſerunt, obierunt: Nemo eorum qui ab ipſo S. LVDOVICI tempore infra totos trecentos annos hiſtoriæ Gallicæ monumenta noſtræ memoriæ commendarunt; Nemo qui eiuſdem Sancti Regis vel filij Philippi res geſtas, adamuſſim deſcribendas aggreſſus ſit, aut eiuſdem temporis hiſtoriam vniuerſam coætaneus teſtis attigerit; Nemo prorſus, ne Nangiaco quidem excepto, qui non hanc ipſam tranſactionem annotarit ſimul cum Philippi matrimonio confirmatam; Et Cadurcenſi Antecesſori, Nangiacum ipſum eâ occaſione tam probroſè vellicanti, videri potuit nemo ſcripſiſſe; nemo vel verbo tenus attigiſſe; nemo non altiſſimo ſilentio rem commemoratu digniſſimam præteriſſe?

Vnus omnium loco ſigillatim ſufficiat Nangiacus ille ipſe, quem ſigillatim explodit, quaſi tam nugaciter otiantem; aut quo ſibi potiùs plaudit, quaſi tanta inter otia & nugas, hoc ipſum quod negat, non ſcribente. Quis credat, qui tam publicè negantem tam audacter viderit eius generis hominem, qui tam alienus à mendacio eſſe de-

beat; & cui ſcribendi mentem ſuggeſſerit *veritas*, inquit; vt aliorum vel præſtigias excuteret, vel elueret maculas, vel impoſturas emendaret? Eodem loco illo quem tam argutè ventilat; illo eodem ſtatim, planiſſimè, diſertiſſimè, teſtatiſſimè ſcribit iſte author, quod non ſcribere illum tam inſultans obtendit; Niſi quod anno 1262. propter cauſas infra dicendas factum notat; quod quia notatum ann. 1258. non vidit Anteceſſor, prætermiſſum putauit. LVDOVICVS *Rex Franciæ*, inquit, *congregatâ circa Pentecoſtem omni ferè nobilitate Regni ſui apud Claromontem in Aruenia,* PHILIPPO *filio ſuo primogenito Yſabellam filiam Regis Aragoniæ, deſponſauit; Et propter illud Matrimonium Rex Aragoniæ in ſignum pacis & concordiæ quam intendebat habere de cætero erga Regnum Francorum, quitauit in perpetuum Regibus Franciæ, quicquid in Ciuitatibus Carcaſſonâ, Bituris,* (ita ſcribit pro Biterris,) *& Amiliano poſſidebat; Rex verò Franciæ quitauit ei vicißim quicquid in Comitatibus de Veſando,* (ita rurſus pro Veſuldulenſi,) *Ampuriarum, Rocilionis, Barcilonia & Cathalania requirebat.*

In hiſt. S LVDOVICI cap. 53. verſùs finem.

Id Anteceſſor non viderit? tam ſucciduis, cohærentibus, proximè iunctis lineis, poſt illa eadem quæ tam libenti ioco traducit, intertextum? Et illudere Authori tamen hoc Epiphonemate audeat, *Vbi mens Authoris atque iudicium? &c.* Quidni merenti retaliare pro immerito liceat, quod hîc opinor & Galli velint? Vbi mens Anteceſſoris atque iudiciū? Imò vbi ſenſus & oculi? vt non intellexerit, non aduerterit, non viderit; quod nemo non videat tam caligans; non aduertat tam ſtolidus; non intelligat tam obtuſus? Iam tum fortè in Rotâ, credo, Romanâ, verſabatur; cauſam hanc ipſam *tam certis argumentis* ſuis & *tam claris* aduerſùs plagiarios ſuos *Ardeliones* oraturus, vt eorum figmenta nihil minùs quàm *flammis addiceret*; Niſi & illius tam acerbi vini, quod *cum vultûs remorſu* potatū ex Nangiaco tam curioſè refert, vel Idea ſola & recordatio menti recurrens, ita vultum aſperare potuerit, vt contractis præ impatientiâ pupillis, deflexi

aliorſum oculi non viderent, quod ſtatim in eos incurreret, ſi continuatim ad ſequentia flecterentur. Quid quòd illa ipſa deinceps videre potuerit, quæ cap. ſeq. 54. ſed infra eãdem paginam, ſtatim initio capitis, proximè poſt tranſactionem in fine anterioris recenſitam, Nangiacus narrat, & narrata ipſe hîc recenſet; Nec tranſactionem tam cohærenti capite viderit, quo tam apertè ad calcem, inter prima quæ refert & vltima, continetur, qualem cõtineri retulimus? Ita planè Anteceſſori neſcio quò tam properè feſtinanti, vel aberrare mentem, vel inerrare oculos & euagari ad ſtuporem oportuit! Nam vt conſpexerit quidem, & conſpectam diſſimulare voluerit; ac illudere interim Authori potuerit, nec vereri ne ſe potiùs illudendum exhiberet; vix auſim niſi timidiùs tantam in illo perfidiam, imò tantam imprudentiam ſuſpicari; qui tam grauem ſe rerum Cenſorem, tam opportunum Regum vindicem; tam ſincerum veritatis interpretem; tam integrum arbitrum publici iuris oſtentet. Sed vtcumque contigerit, firmum-ne tibi, Meſplede, poſſis è ſilentio Nangiaci eruere iam tandem argumentum, quo non factam tranſactionem inclames; quia illam *in tanto otio ſcribendi nugas* non deſcripſit?

Non iam opus vt eundem tibi aliunde producam, hoc ipſum planè *iiſdem* ferè verbis quæ iam retuli, confirmantem; in hiſtoriâ Generali quam ad annum vltra 1300. perduxit, & *Chronologiam* appellauit; Non opus vt alium aliquem eius temporis hiſtoriographum adjungam; quia nec vllum alium profers, nec nanciſci vllum poſſis, qui rerum omnium tunc geſtarum hiſtoriã, coætaneus author & oculatus euulgarit; Nã Ioinuillæus quidem, quem ſubindicas tantùm, ſed proferre hac in causâ, niſi per cuniculos & obliquè, non audes; ea tantũ aggreſſus eſt ſcribere, vt ipſe initio profitetur, & in progreſſu ſatis probat, quæ potiùs ad ſanctiſſimi Regis pietatem & conſcientiæ teneritudinem commendandam, quàm ad eius res geſtas omnes pertinebant; Subindeque illas tantùm attigit, quæ peculiarem tam integræ men-

Ad Ann. 1262.

tis notam, ſeu tam teneræ conſcientiæ teſtimonium præ ſe ferrent. Hinc fœdera illa quæ refers, per Sanctiſſimum Regem inter alios conciliata, deſcribit; Hinc pactum ab illo fœdus Anglicum narrat; quo cauit, vt ne quid alienum, nullo ſatis fauente ſibi titulo, retineret; ne tecum repetam hoc ab eo damnari, quod ſanctitati ſic aſcribit, vt quemadmodum ipſe addis, *pijſſimum* inde *Regem elogio* pergat *ornare* tam inſigniter Chriſtiano; Hinc *Elogium* iſtud ſcilicet illi affigit, *neminem ſuâ ætate vixiſſe, qui maiore ſtudio procurauerit, vt inter tum ſuos tum exteros, ſincera, æternaque pax eſſet.* Quid autem attinebat peculiariter ab eo commendari, aut velut integritatis & conſcientiæ tenerioris notam produci, quod publico potiùs Regis iure ac Regni lege, quàm Sancti more ac mente præſtitiſſet; vt abdicatis iis quæ præſumi aliena poterant, ſua viciſſim, qualia præſumere poterat, vendicaret? Quamuis & in eo certè aliquatenus præſtiterit, quod preſſioribus exemplis contentus probaſſe Ioinuillæus, vniuerſim edixit; Ea ſpeciatim non exprimens, quæ minùs ad id efficacia videri potuiſſent. Nec mirum, vt hanc tranſactionem non attigerit, qui nec PHILIPPI matrimonium veſtigio attigit, cuius occaſione perfectam reliqui omnes vno ſimul conſenſu profitentur; Adeò vt aut hoc matrimonium non curaſſe dici debeat S. Rex, quod certiſſimè tamen ab illo curatum eſt, quia Ioinuillæus non exprimit; aut futile potiùs argumentum videri tuum debeat, quo tranſactionem, quia non exprimit, negas factam; Et exclamatio illa futilior, quâ *obliuionem* in illo vel *incuriam* tam epiphoneticè reprehendis, quòd *rem omnium à S. Rege geſtarum, hiſtoriæ monumentis digniſſimam*, inquis, *omiſerit*; quam ne geſtam quidem tam enixè contendis; Etſi geſtam tamen ob cauſas tam ſpectabiles non deſcripſit; nec tu prudenter, vtcunque geſta ſit, præferre illam tot inſignibus aliis & cœlo dignis potuiſti, qui ſubinde cauſari *ſtolidam*, ſi geſta eſt, non vereris.

Quid opus quoque vt & illos alios proferam, quibus intra trecentos à tranſactionis illius tempore notato an-

nos

nos explorate nota; ſcrutata diligenter; euidēter comperta; probata ſeriò, diſertéque deſcripta ſit; quò planiùs conſtet, quod in vno Nangiaco plus ſatis conſtat, qualem in iis legendis curam adhibuerit Anteceſſor; quam fidem in oſtentandis mereatur; dum ignotam omnibus tam audacter affirmat, quâ notior omnibus & celebrata magis ab omnibus oſtentari non poſſit. Quid opus vt Gaguinum, qui lib. 7. Hiſtor. Francorum pag. 111. Edit. Francofordienſis, illam narrans, LVDOVICVS, inquit, *miſſis ad* IACOBVM *Tarraconenſium Regem Nuntijs*, YSABELLAM *eius* (filiam) PHILIPPO *filio vxorem impetrat*; *Atque per has nuptias* IACOBVS *Carcaſſonem vrbem cum alijs quibuſdam locis quæ in Prouinciâ tenebat* LVDOVICO *reliquit*; LVDOVICVS *contrà*, *Ruſſilionem*, *Cathaloniamque*, *de quibus controuerſia agebatur*, IACOBO *permittit*. Quid opus vt PAVLVM ÆMILIVM; qui non ille Gallus quidem, ſed Galliæ municeps, & in Galliæ ſinu ac meditullio ſcribens, poſt indicatam *Regum Francorum & Aragonum* circa iactata toties iura controuerſiam; eiuſque occaſionem à Toloſanorum Comitum, qui ſimul, inquit, Emporitani Comites erant, *conſanguinitate priſtinâ* deriuatam: Imò poſt expreſſiùs teſtatam contentionem, *quæ recentiore memoriâ de iure finium ac de causâ plurium oppidorum ſub Sancto Rege tenuerit*, vt veluti vicinus eorundem temporum loquitur; hæc ſubinde adiungit; IACOBI *Tarraconenſium Regis filiam* ELIZABETHAM *vxorem duxerat* PHILIPPVS *Franci filius*: *Fœdereque cautum*, *vt Carcaſſonem*, *quæ vrbs in controuerſiâ erat*, *Francus haberet*; *Ruſcinonem verò*, *Emporiaſque ac Tarraconem Tarraconenſis obtineret*. Quid opus, vt Annales Gallicos, qui à NICOLAO GILLIO Regio quondam Secretario vſque ad CAROLVM VIII. compilati; & vt inſcriptio ipſa præ ſe fert, ad veterum Tabularum, Chartarumque veritatem recogniti, emendati, & aucti, ſic PHILIPPI cum YSABELLA matrimonium vernaculè ſcribunt, vt Regem Aragonum addant Regi Franciæ remiſiſſe, quicquid Iuris in Carcaſſonem, Biterras, &

Edit. Vaſcoſanæ Ann. 1550. euulgatæ. Pag. 153.

Ad ann. 1262.

Æmilianum obtendebat; Et S. Regem LVDOVICVM ſimiliter Aragonum Regi dediſſe, quicquid in Ruſſilionenſi, Barcinonenſi & Catalanenſi Comitatu obtendebat viciſſim ſuis iuribus vendicatum. Vllum-ne proferat, qui non idem affirmet? Plus ſatis hos proferri ad eum conuincendum; ſi iuuaret certiùs, pleniúſque conuinci.

CAPVT QVARTVM.

Quàm non indignè tantùm, ſed imprudenter alios omnes trecentis annis tranſactione poſteriores, & illam affirmantes, primarios licet viros, reijci velit; vt ſibi vni credatur perneganti.

SED multò minùs proferri à me iuuat *obſcuriſſimos* illos tuos, qui velut furtim è tenebris prodierunt, Meſplede; Illos qui poſt Marianam, Taraſamque ſcripſerunt, *nouellos*, ob iuniorem ætatem ſuam tam ſenili authoritati tuæ minùs pares; quæ magis noua licet, *in gratiam* tamen *veritatis antiquiſſima* ſcribit, & totam antiquitatem deſpondet ſibi pronam; Illos obtuſos tibi & hebetes, quos *Hiſpanienſium præſtigijs deluſos* cauſari non ambigas; etſi *claros alioqui ac eruditos Viros*, vt interim liberaliter profiteris; etſi Supremos rerum Gallicarum arbitros; etſi Regios hiſtoriæ Gallicanæ Scriptores; etſi fori ac iuris Antiſtites; etſi vindices legum; etſi Regum Interpretes; etſi penitiſſimos arcanorum Regni ſcrutatores, conſcios, conſultores.

Quid ſi proferam tamen? & ſaltem aliquos, quibus peculiari iure plus debeas, quàm vt illos vellices tam indignè? Quid ſi omiſſo Turqueto, quem propter vitioſam notationem temporis & rei circunſtantiam nominatim exploſum voluiſti; rem licet ipſam planiſſimè in eâ hi-

ſtoriâ delineantem, quam ter inuicto Regi, ac ter magno HENRICO IV. Hiſpanicæ nomine nuncupauit? Quid ſi omiſſo Dupleixio, qui eam nihilominùs in S. LVDOVICO ad ann. iam notatum ſimul cum PHILIPPI matrimonio pactam agnoſcit, probat, diſertiſſimè profitetur ac deſcribit; in Galliæ totius oculis exhibet; partem hiſtoriæ noſtris Regibus nuncupatæ, factaque illorum & monumenta continentis inſtituere non veretur, viuus & ſuperſtes penſi Regij Scriptor? Quid ſi omiſſo Caſſano, qui & ipſe nuper vniuerſa Gallici Regni iura quo potuit ſtudio perſcrutatus, vt eorum ſummam & collectionem Supremo Regis ac Regni Miniſtro RICHELIO *Cardinali-Duci*, tam vigilantibus oculis Argo nũcuparet, eam vel inuitus agnoſcit; obiectam ſibi ſic diluit, vt contra leges factam dicat, ſed factam tamen; & certiſſimè cœteris vult teſtatam, eo maximè tempore quo negatam inprimis intereſſet, ſi liceret; idque magno Rex, magno Genius tantus, magno Miniſtri Regij, magno Galli omnes emiſſent? Quid ſi omiſſo, ſi voles, etiam Catello, qui licet Curiæ Toloſanæ Senator, hanc eandem in hiſtoriâ ſuâ Occitanâ, ſupremo Galliæ Nomophylaci SEGVIERIO paucos ante annos hoc ipſo rerum ſtatu nũcupatâ, incunctanter agnoſcere, teſtari, exarare non dubitat; Et eam rurſùs poſtea inculcat, ediſſerit, ſuis antea ſe monumentis inſeruiſſe commemorat, ſimul cum IACOBI literis, tam tibi exoſis, exaratam? Quid ſi omiſſis aliis omnibus, quantoſcunque proferre poſſem hoc teſtantes, vnum illum tibi proferam, cuius ore ipſo admonitus, vt audio, cauere debueras, ne velut contra fluuium conareris; vt negares factum eſſe, quod conſtare tam certò factum affirmaret? Illum, inquam, Illuſtriſſimum Præſidem, Sacri Conſiſtorij Regij Comitem, & nunc Viſitatorem Catalaniæ Generalem Petrum de Marca, qui præter tam planum oris teſtimonium tibi auditum, & exhibitam præterea mihi huius operis mei à ſe probati teſtem ſyngrapham, duo alia præ cœteris, quæ te reuincãt, apertiſſima ſuggerit, in illis ipſis monumentis, quæ ad hi-

Lib. 11. notat. Aragon.

Lib. 7.

Lib. 4.

Nondum videram quid ſcripſiſſet, quando mea probauit.

ſtoriæ Bearnenſis notitiam, & aliarum ſimul plurium rerum eruditionem poſteritati conſignauit.

Primùm enim antiquis Aragonum in Carcaſſonem iuribus, qualia ex illo iam retuli, enarratis, annotare deinceps pergit; vt ea in S. LVDOVICVM tranſactione hac ipſâ tranſtulerit Rex IACOBVS; Vbi mouere neminem debet, quod primo me ſtatim intuitu mouerat, & ſolo numeralium notarum errore Typographico factum eſſe alter locus oſtendit continuatim referendus; vt annus 1256. pro 1258. deſignetur, in quem cœteri paſſim, eo modo quo dicemus, rem totam contigiſſe conſentiunt; vt & ipſe poſteriùs loco proximè ſequenti, plenis atque integris characteribus, præter omnem ambiguitatem, ſyllabatim exarato, conſentit: Et explicatis alibi cauſis, cur *Bigorræ hominium* Regi Franciæ ann. 1293. præſtitum foret, ac illius nomine à Miniſtris Regiis expetitum; *Nihilominus*, inquit, vt verbo tenus Latinè reddo, *ſi Miniſtri Regij pleniùs eâ de re inſtructi fuiſſent, non erat opus tot ac tantis diuerticulis, vt Bigorræ immediatum hominium adiectum Regno vellent; Quippe ſi commutationem aduertiſſent à S. Rege* LVDOVICO *cum* IACOBO *Aragonum Rege anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo octauo factam, deprehenderent, quòd quemadmodum Rex Franciæ Regi Aragonum hominia illa omnia, Regaliaque iura & Dominia remittebat, quæ ad ſeipſum in Comitatum Barcinonenſem, aliaſquè ditiones Pyrenæis montibus vlteriores pertinerent; Ita viciſſim Rex Aragonum omnia illa in Regis Franciæ commodum abdicabat à ſe, quæ ipſi non in Prouinciâ modò & Occitaniâ, ſed vniuerſim quoque in Ciſmontanis ditionibus reliquis debebantur; adeò vt in ijs etiam ipſum Bigorræ hominium contineri oporteret, quamuis peculiariter non expreſſum; cùm illud Aragonum Reges tanto temporis tractu vendicaſſent.*

Quid ergo, ſi vel illum vnum cœteris omiſſis proferam, bis illud ipſum in proprijs ac publicis monumentis tam apertè teſtantem; quod etiam illo, vt ſubinde accepi, monente, tam obſtinatè tamen coniecturis tam inanibus, præter

L. 8. c. 7. num. 2.

præter omnium fidem negandum ſuſcepiſti? Vlli-ne hominum, niſi tibi, proferente me, venire interim in animum poſſit, vt *Hiſpanienſium præſtigijs deluſum illum* ac cœteros credat, vt affirmarent quod negas; & vni magnæ menti tuæ illudere præſtigias non potuiſſe arbitretur, vt negares quod affirmant? O mentem à præſtigijs tam immunem!

CAPVT QVINTVM.

Quam cæcâ rursùs vel intolerandâ fiduciâ TILLETVM aliter legat, aut adulteret; vt non tantùm teſte illo videri poſſit hoc negare; ſed eodem quaſi authore omnino neget in tabulis Regiis contineri.

TILLETVM etiam cum cœteris illis quos retuli, Meſplede, protuliſſem; niſi ſuus illi peculiaris referuandus fuiſſet locus, quẽ tibi tam fauentem deſpondes; & quo maximè velut authore gloriaris, vt nouam tibi non ex illius tantùm teſtimonio, ſed Regiarum Originum ſcrutinio coniecturam eruas; ex quo tamen vtroque non aliud quàm nouum cœcitatis tuæ pluſquam ſtupendæ, vel pluſquam intolerandæ fiduciæ ſpecimen eruatur. Quippe poſt *re-* Pag.86.
quiſitum Autographum quod inter Origines Regias in Hiſpaniâ extare debet, inquis; vbi *noſtras nihil habere ſimile* tam confidenter addidiſti, vt ſi totas penitiſſimè inſpectas euoluiſſes; TILLETVS, pergis, *qui omnes magnâ diligentiâ perſcrutatus eſt, vidit quidem literas procuratorias à Iacobo Rege Aragonum datas 5. Id. Maij, ann 1258. Quibus, Legatis ſuis poteſtatem dabat paciſcendi de nomine ſuo pro Yſabellâ filiâ, quam PHILIPPO D. LVDOVICI filio maiori locabat; Et pacta ab ijſdem Legatis iurata in Vigiliâ Pentecoſtes; Et inſtrumentum ratificationis omnium pactorum, quæ Legati nomine ſuo pacti erant, ſub Datum 18. Cal. Aug. Quo die data feruntur hæ literæ quas impugnamus; At*

Ea

Pag. 87. *huius mutuæ ceſſionis, &c. nullum veſtigium extat*; *Quæ grauiſſima eſt*, vt addis, *falſi præſump. io*; Atque illam paulò poſt ex hac *Menochij doctrinâ confirmare* aggreſſus, quòd, *quando cæteri contractus reperiuntur deſcripti in libro eiuſdem diei, & tamen non reperitur deſcriptus contractus ille de quo contenditur, tunc hic contractus non deſcriptus falſus præſu-*
Pag. 88. *mitur*; Tum concludis, *Cùm igitur cætera inſtrumenta ad coniugium, inter Yſabellam Aragoniæ, & Philippum contractum ſpectantia, integra habeantur; & Ratihabitio, ſeu confirmatio Conuentorum facta Barcinone eo ipſo die quo literæ datæ dicuntur*, 18. *ſcilicet Cal. Aug. In quibus nulla coniugij, aut dotis mentio fit; quis non videt manifeſtiſſimam falſitatis præſumptionem?*

Quid hîc dici de te, Meſplede, rursùs poſſit? Quis non vndique ſtupeat id à te dici potuiſſe tam confidenter, ac tam infidè tamen; quod in ſingulis verbis & ſyllabis adulteratum primo quiſque intuitu deprehendat? Cœcitatem hîc etiam putare malim; ſed neſcio an omnes putent; nec video vt excuſem; Et inclamari à te velut inſultabundo tam neruosè interim potuiſſe *manifeſtiſſimam falſitatis præſumptionem*! vbi non alia vlla ſit, quàm quæ à te in tam paucis lineis per ſingulos apices inflexis & contortis obtruditur tam multiplex falſitas! Ne ſuſpicari quidem præſumptum hoc à te poſſet animus, niſi oculi exploraſſent!

Et quidem *Origines Regias* à me viſas oſtentare non poſſim; nec tu auſis, Regius licet videri Scriptor geſtiens, dum hæc iactas; Dirimendæ diſceptationis compendium illud eſſet, ſi vel ego vidiſſem in ijs contineri quod negas; vel vidiſſes tu non in ijs contineri, aut poſſe ſtatim ijs inſpectis obtineri, quod contendis. Verùm Oedipo hic opus, qui diuinet; aut Mercurio qui viſa interpretetur; aut Logotheta qui arcana enuntiet; aut Chartophylace qui abſtruſa depromat. Adyta ſunt, quæ adire
Arrianus non cuiuis licet, nec in tantillâ diſceptatione nunc expe-
Epicteti dit; μέγα ἐστὶ πρᾶγμα, vt aliâ in re quiſpiam alius; *Magna*
lib.3. c.21. *res eſt*; μυστικόν ἐστι, οὐχ ὡς ἔτυχεν, οὐδὲ τῷ τυχόντι διδόμενον· *Myſticum*

quiddam eſt; non res obuia & vulgaris; nec temerè cuilibet quomodocunque conceſſa. Scio teſtatum ab alijs quod ipſe non vidi; Scio fido relatu ab ijs qui rem habebant exploratam, aſſertum; Scio hac ipsâ mei operis occaſione ponderatum; Scio & indicatum iam antea tibi, quod prudentiùs credidiſſes; & vel credendum ſatis perſuadere tot iam illa tam inſignia rei geſtæ teſtimonia potuerunt.

Ita eſto tamen; Diuinare nos oporteat; aut ex vno tantùm Tilleto, vter fœliciùs diuinet, augurari. Quanquam nec ſubire hanc aleam velim, ſi Tilletus, vt refers, ita exaraſſet, quod eo loco quem indicas annotauit; nec aliunde potius, quo te vanum aruſpicem oſtendat, miniſtraret.

Sed quid? *Procuratorias literas ann.* 1257. *datas* Tilletus notat; illâ ipsâ capſulâ quam indicas, & quâ illas deſignat contineri; Tu quaſi tibi non tantum noſſe, ſed mutare momenta pronum eſſet, ex anno 1257. annum facis 1258. vt eas duodecim poſtea menſibus, imò quatuordecim, vt mox dicam, datas eſſe oſtentes; Nec Typographicum calculi errorem quiſquam putet; quem & tribus diſtinctis à ſe paginis toties repetis; & vt *clariſſimum euincendæ falſitatis argumentum* exultanter inculcas; vt ab ipsâ circumſtantiâ temporis, quaſi contradictoriâ, rem inſinues nunquam factam. Pag. 79. Capſulâ Aragonia A. In inuentario Philippi 3. Pag. 79. & 81. & 86.

Ruſus has ipſas literas ad eiuſdem anni 1257. Martias Idus Tilletus refert, ſeu 5. Id. Mart. datas profitetur; adeò vt inter *poteſtatem paciſcendi Matrimonij Legatis factam*, & inita eius pacta quæ ipſe in vigiliâ Pentecoſtes anni ſequentis 1258. notat, Menſes toti quatuordecim aut ampliùs intercurrant; Tu feſtinante tot gradibus *tuas* inter *vmbras* per momentum vnum Sole, in Martio nobis Maium exhibes, flores illos iam fortaſſe prælibans, quibus tam auſpicata triũphalis libelli victoria coronetur; Et pro 5. Id. Mart. parum putas affingere Tilleto, quòd 5. Id. Maij, etiam vertente toto anno, prænotarit; vt hîc etiam contradictiones tibi fingas, quæ diſ-

cutiendæ poſtea ſuo loco, præter te neminem implicabunt; Nec aduertis quàm inde teipſum implices, vnde inijcere cœteris laqueum paras; Vt eodem ſimul tempore *procuratorias in Aragoni dari literas* oportuerit; & *Matrimonium, cui paciſcendo* datæ ſunt, in Galliâ definiri; Aut quocunque tunc menſe Vigilia Pentecoſtes occurriſſe potuerit, longiſſimum ſaltem iter Procuratores Aragonici tam breui ſpatio decurriſſe debuerint; fortè, quia *Nuntios* IACOBVS vocat; & tu pluſquam Curſores aut alatos Mercurios videri velis tam celeriter aduolantes.

Quin & rurſus, ipſam pacti Matrimonij ratihabitionem ad 17. Cal. Aug. eodem An. 1258. per IACOBVM factam Tilletus exhibet; poſtridie nimirum quàm *literæ datæ* dicuntur; vtpote ad eiuſdem Aug. 18. Cal. inſcriptæ, quibus tranſactionem ſuo aſſenſu confirmatam expreſſit; Tu Sole iam (ne quid induſtriæ tuæ deſit) per viginti quatuor horas *tuâ* rursùs in *vmbrâ* retrogrado, poſterum confirmandi Matrimonij diem anteuertis, & ad 18. Cal. Aug. confirmationem illam annotatam oſtentas; vt ex allatâ Menochij tui doctrinâ perſuadeas contractum tranſactionis nunquam factum; quia non eodem die cum contractu Matrimonij deſcriptus ſit; qui nec eodem cum illo die, 17. Cal. Aug. factus eſſet; ſed iam pridie ad 18. Cal. præceſſiſſet; quaſi præuia conditio Matrimonij poſt compoſita finium diſſidia conſtituti.

Quid ampliùs? Non aliâ, quàm iſtius vnius Matrimonij ratihabitionem eâ capſulâ & eo die Tilletus notat à ſe viſam; nihil omninò addens, quo ſe de Legatorum pactis loqui vniuerſim ſignificet; Nempe quia *Inuentarium* PHILIPPI ex profeſſo exhibet, ad quem vel maximè Matrimonium illud rati habitum velut ad contrahentem pertinebat; Non verò Inuentarium Sanctiſſimi Parentis LVDOVICI; cuius nomine tranſactio facta erat; vt pote quæ, licet occaſione datâ cum contractu Matrimonij Tractatuque concurrens, nihil PHILIPPO peculiare ac proprium contineret; Tu, cui tàm anguſta non placent;

placent, hîc tandem in liberiorem ſenſum effuſior, vniuerſale ſignum adhibes, quo veluti *omnium quæ Legati pepigerant, rati habitionem* in eâ capſulâ ſibi viſam, contentamque teſtetur; vt ſubinde perſuadeas nihil penitus pactum ab illis eſſe, quod ad iurium ceſſionem pertineat, quia illic eam contineri non exprimit.

Ita-ne ludi à te Authores, vt Lectores illudas? quaſi nullos reueritus oculos, quorum eludere vigilantiam, aciemque non poſſis? At qui hoc ipſum quod ibidem addit, aduertiſſe debueras, earumdem trium literarum Duplicata, vt vernaculum eius vocabulum ita reddam, duplici Regiſtro ſeorſim contineri, Scilicet Regiſtro 30. literâ 544. Et Regiſtro 32. literâ 8. Quorſum verò? Niſi quia Regiſtro 30. ad S. LVDOVICVM pertinente cum ipsâ ſimul tranſactione deſcriptæ ſunt; & Regiſtro 32. quod ad PHILIPPVM ſpectat, velut Matrimonij ſolius indices, cõtinentur? Nam & optionem dotis, quam Yſabellæ factam addit, notat mox non illo tantùm Regiſtro 30. (velut inter S. LVDOVICI tabulas à quo nurui oblata) ſed & Regiſtro 33. (velut inter tabularia PHILIPPI cuius vxori facta eſt) recenſitam. Quid aliud Regiſtro illo 30. in iiſdem S. LVDOVICI tabulis contineatur nec ne, non exprimit; Quidni quod omnes affirmant, contineri diuinem, quia non negat; multò veriſimiliùs quàm diuines non contineri, quia non expreſſè affirmat? Quidni & in ipſo fortè Tractatu Matrimonij, quem à ſe viſum Tilletus refert, ineſſe diuinem aliquid, quo coniunctus tranſactionis propter illud initæ contractus indicetur? Nam nec explicat, quid in eo viderit contineri; quid contineri non viderit; vt plus tibi neganti faueat, quàm fauere mihi debeat aſſerenti.

Capſula. 190.

Capſulâ Aragonia A. Regiſtro 30. litera 409. & Regiſtro 33. literâ 157.

Sed apage diuinationes, quas vltrò tibi conceſſiſſe hîc velim, in tam auſpicato libello tuo tam frequentes; Quod abnuentem vno loco diuinas tam infœliciter, expreſſiùs teſtantem iam accipe bis in alio, vel rei equidem teſtatiſſimæ annuentem. Non illum teſtari putas, cùm in Compendiario Regum Galliæ Chronico PHILIPPVM

ſcribit Yſabellam Claromonti duxiſſe, poſtquam finium ſuorum diſſidia definita reſciuit? Diſſidia ne finium alia, quàm quæ tranſactione hac ipsâ expenduntur? Nam etſi non exprimit quidem, quia compendij breuiſſimi ratio vt excurrat longiùs non permittit; quid indicare clariùs potuit, cùm vtrumque coniunctim inſinuat, quod alii omnes vno nexu ac tenore coniūgunt? Non ſaltem arbitraris annuere, cùm in Regum Franciæ Collectario, Barcinonenſem Comitatum Carolo Philippi filio per Martini 4. Pontificis inueſtituram conceſſum profitetur? Ex quo ſupereſt vt Comitatum illum vendicare Gallia deſiſtet; quippe ipſo S. Ludovici fœdere ac tranſactione abdicatum. Vnde iſta porrò Tilletus quæ tranſactionem hanc vel tam cohærenter ſupponant, vel tam apertè ſignificent; ſi *Origines Regia quas magnâ diligentiâ ſcrutatus eſt*, explodendam conuincunt?

I nunc, & ex arcanis Regum chartis iacta, quæcunque tibi vel ſomnianti obrepſerint: nec affingere Tilleto time tam obliquè detorto, quod in faciem retorqueat ac refigat; dum non modò non præbet, vnde adiuuet diuinantem; ſed ſuggerit vnde conuincat illudentem, tot hactenus teſtimoniis iam conuictum.

CAPVT SEXTVM.

Quàm fictitias in tranſactionis teſtibus contrarietates parum cautus oſtentet; vt eorum authoritatem ac teſtimonium tam fidenter eludat.

VT illis tamē teſtimoniis nihil moueri debeat, & multò minùs patiatur ſe conuinci, nouæ *falſi præſumptiones* impediunt, quas ex tantâ eorum contrarietate compingit. *Falſi etiam vehemens*, inquit, *ſubit ſuſpicio, quoties apparet de diuerſitate inſtrumentorum, & multò magis de contrarietate*; Vt etiam ex

Pag. 95.

Baldo monet, ne vno Menochio inſtructus hac in cauſâ videatur; Subindeque pergit, *At quæ maior aut varietas aut contrarietas quàm quæ ſuperiùs expoſita & explicata eſt? quando vnus rem actam cum LVDOVICO, alius cum* PHILIPPO; *Vnus anno* 1258. *alius anno* 1260. *Vnus Corbolij, alius Claromonti; Vnus dotis nomine, alius purâ ſimplicique permutatione aut compenſatione.*

Quandiu verò hallucinationes tantæ? ne dicam, tantæ fraudes? Nam hîc eum hallucinatum non dubito, potiùs quàm fallentem; dum inter tot viarum errores aut imagines oculorum & *vmbras*, tam variis perſonarum, locorum, temporum, rerumque nominibus implicatur: niſi quòd etiam ſuo vſu deprauat, quæ producit; præſertim vbi rem cum PHILIPPO actam notari à quibuſdam refert, qui cum ſolo propriè Sanctiſſimo Parente LVDOVICO actam notant.

Sed enim quantumuis rectè retulerit quæ notarunt, quale illud eſt tam inexplicabile, quo ſe nec Dçdalus tam ingenioſus expediat? Quàm inextricabilis amfractus, vt rem actam cum PHILIPPO dicat vnus propter Matrimonium Yſabellæ cum illo celebratum; atque alius cum LVDOVICO potiùs actam dicat, propter tranſactionem ipſam, occaſione Matrimonii pactam, quam & ſuo ſimul & filii nondum per ætatem capacis nomine deſpondiſſet! Quàm implicatæ ambages, vt initum Corbolij nuptialem contractum vnus dicat; Et alius notet celebratas nuptias tantò poſtea Claromonti! Quàm implexus & circumflexus variè Labyrinthus, vt anno 1258. quo inita pactio eſt, rem inceptam notet vnus; Et alius afferat anno 1262. quo celebratæ ſunt nuptiæ, tandem plenè perfectam! Quàm inuoluta difficultas, vt Carcaſſonæ ac Biterrarum Dominium vtile quaſi Dotis nomine dederit Yſabellæ IACOBVS, quod vnus refert; Ac ſimul earumdem & cœterarum etiam vrbium honorifica tantùm Dominia, *ſimplici puráque permutatione* in S. LVDOVICVM contulerit, quod alius profitetur! Quàm inſolubilis flexus, vt reciproca illa iurium ceſſio in Ma-

trimonij gratiam facta ſit, & cum ipſo ſimul Matrimonij contractu inita fuerit; quod nec vllus negat; nec tamen Dotis nomine in vniuerſum cenſeatur; quod nec vllus affirmat!

Quàm philoſophicè contrarietatem hîc tantam inclamat Anteceſſor! Quàm ſubtiliter excogitat non poſſe idem tam diuerſis temporibus agitari Corbolii; & poſt annos quatuor Claromonti abſolui! Non poſſe cum PHILIPPO iniri Matrimonium Yſabellæ; ac IACOBI fœdus cum LVDOVICO tunc firmari; Non poſſe Matrimonij ſponſionem in annum 1258. contigiſſe; ac ipſarum interim celebritatem nuptiarum, eſſe in annum 1262. propter cauſas poſtea expreſſiùs dicendas reſeruatam! Nam in annum 1260. ſolus, quem notat, Turquetus errore neſcio quo conſignat, quem nec moror; & notare potiùs ipſe alios debuiſſet, eam in annum 1262. vno conſenſu referentes. Quàm ſubtiliter tandem non poſſe Dominium vtile Dotis appellatione cenſeri vrget; quia honorificum permutatione mutuâ compenſatur! Quàm illum tantæ varietates vndequaque meritò circumuoluunt! *Plagiarios* eius *Ardeliones* Rota, credo, Romana diſtrictiùs non verſaret, illo ipſo ſuas in eos coniecturas tam ineuitabiles contorquente; ac tot illum tam graues antilogiæ torqueant, *quibus eſſe maiores nullæ poſſint*!

Non aduerterat, *Anachroniſmorum*, vt loquitur, tam curioſus indagator, quod ex Tilleto ipſo ſuo aduertere potuiſſet, pactionem illam vtramque ann. 1258. verè factam, & eam eſſe cauſam cur à nonnullis hoc anno conſignetur; ſed anno tantùm 1262. exequutioni demandatam; effectumque illius ob neceſſarias conditiones & cauſas eò vſque dilatum; quòd ætas PHILIPPI matura coniugio expectanda eſſet, qui anno 1258. tredecim ſolos annos attigerat; etſi Pontificiam diſpenſationem, quâ propter cognationis impedimentum indigebat, illo ipſo iam tempore ſuſcepiſſet; nempe Alexandri IV. anno 4. in eâdem quâ priùs capſulâ recenſitam; ſimulque ſub aliâ, quæ *Bullas continentes diſpenſationem ſuper Matrimoniis* Capſulâ Aragonia A.

Regum

Regum aſſeruat, repoſitam; & eodem quo ſupra loco, vtrinque à Tilleto in Inuentario PHILIPPI prænotatam? Nec pactionem occaſione matrimonij factam plenum effectum ſortiri oportebat, donec ipſas, quæ pactæ ſimul fuerant, nuptias iniri tandem & celebrari contingeret; adeò vt propterea ipſa iurium ceſſio in eundem cum nuptijs annum 1262. à pleriſque paſſim ſcriptoribus, & quidem Guillelmo ipſo Nangiaco, referatur. Non aduerterat Regius arbiter quod in Menochio rursùm ſuo deprehendere potuiſſet, vt *conuentiones matrimonij à tabulis nuptialibus incipere conſtitutum in iure ſit*; adeóque ante nuptias initas effectiuam vim non habere: Nec venire in rationem dotis, niſi quæ inſititia quodammodo, & affixa matrimonio dici poſſunt, non quæcumque occaſione matrimonij quomodolibet ineuntur. Non ſaltem aduerterat hiſtoricus diſceptator tam accuratus & ſolers, quod in ſimilibus paſſim, etiam ſacrarum narrationum, intextutis obſeruari pronum eſt, retrotrahi tempus per Metalepſim potuiſſe, quo ceſſio illa facta erat, cùm de nuptijs reipsâ initis agi contigit, quarum occaſione ac intuitu facta eſſet; quia nec de ipsâ earum ſponſione in annum quo facta eſt, quidquam fuiſſet ab iiſdem Scriptoribus annotatum; Ac proinde anno 1262. velut vno contextu narratum illis, cùm nuptias exhibuerunt celebratas, quod anno 1258. iam ſancitum propter nuptias præceſſiſſet. Vix tutum ab illo Euangelium videri poſſit, ſi hanc vnam ob cauſam reſpuenda narratio eſt, vel præſumi falſa debet, quia poſteriùs diuerſis longè temporibus datâ occaſione narratur quidpiam, quod iam antea ſit perfectum.

Quid ſi ad grauiorem *falſi præſumptionem* addidiſſet, vt præter annum 1262. quem apud eos quibus conuinci potuerat peremptorios teſtes vel diſſimulauit, vel non vidit; præter 1260. quem tam accuratè, quia fauere inſtituto videretur, in Turqueto notauit; & præter 1258. quem non minori ſtudio aliunde inculcat, quia & commodum credidit, annus etiam 1256. vno ſaltem in loco apud Hi-

Iuſtriſſimũ Præſidem PETRVM de Marca prænotetur? Neceſſe manifeſtum in numero Typographicum errorem aduertiſſet, qualem emendatiùs loco altero conſcriptum annotaui? Quid ſi Barcinone confirmatum à IACOBO dici, quod Corbolij priùs actum, & poſtea Claromonti perfectum eſt? Quid ſi etiam addidiſſet PHILIPPVM, de cuius matrimonio ſimul cum iſto fœdere actum dicitur, nunc S. LVDOVICI primogenitum filium, nunc natu-minorem variè ab illis appellari? Nec iure tantùm ciuili, quo mortui ſic cenſentur vt ſi non ſint, primogenitum dici cogitans, quia verus naturâ primogenitus obijſſet; inclamaſſet antilogiam; *præſumptionem falſi maniſeſtiſſimam*; tantam ſcriptorum *contrarietatem*, quanta maior cogitari nulla poſſit? Quàm intricatos nobis nodos, vel Gordio implicatiores, nexuiſſet! Quàm difficilem nobis operam in iis extricandis ac diſſoluendis faceſſiſſet!

Ludere iſta, Meſplede, per tantum otium deſine, quem alia tot negotia rectiùs occuparent! Non diſſentiunt vtique Scriptores illi omnes, dum diuerſa conſcribunt; quæ momentis ipſis rerum ac locis temporibuſque diſtincta, ſic diuerſa ſentiunt qui ſanùm vident, vt nihil minùs intelligant quàm aduerſa. Vtrumque fœdus anno 1258. initiatum conſentiunt omnes; Et vtrumque anno 1262. conſummatè perfectum, præter Turquetum quem iam excluſi, omnes narrant: Corbolij omnes initum ſcribunt; & Claromonti per celebrationem nuptiarum, quaſi reipsâ, concluſum clamant omnes: Omnes cum LVDOVICO ſimul in PHILIPPI gratiam propter Matrimonij pactionem actum profitentur; Cum PHILIPPO propriè nemo ſcribit, niſi quantum ad illum ipſa Matrimonij pactio pertinebat; Denique omnes aliquam Dominij vtilis, vt appellant, ceſſionem Dotis nomine indultam vel aſſentiuntur, vel non diſſentiunt; honorifici iuris translationem, etſi matrimonij cauſâ ſancitam, permutatione nihilominùs mutuâ compenſatam vel affirmant, vel non abnuunt; Nec ideò ſe rationi Dotis quæ Dominio

potiùs vtili conſtat,præiudicare quidquam putant;quamuis legum interpretes ac iuris arbitri: Quis hîc deinde contrarietatem vllam tantam, niſi vmbris inerrantibus offuſus videat Anteceſſor?

CAPVT SEPTIMVM.

Quàm falſas quoque iiſdem Scriptoribus aſſertiones affingat, vt pugnare ſecum ipſi, vel diſſentire inter ſe videantur, adeòque authoritatem non mereri.

SED falli certè hactenus in tam variâ tot momentorum ratione diſtinguendâ potuerit, vt videre ſibi per vmbram contradicentia videretur; Quid cenſeri de illo iam debeat, vbi & iiſdem affingit, quod non ſcribunt; imò quod eorum ſcriptis aliter omnino contineri compertum eſt; vt vel à ſeipſis diuerſi, vel inter ſe aduerſi credi poſſint? Aut argutiunculas quaſdam, etiam ſenſui repugnantes, magnificè ventilat, vt falſa ſcripſiſſe conuincantur, quaſi & hoc Mathematicè demonſtraret? Ac ſeipſum ita interim implicat, vt vel hoc profiteri cogatur factum eſſe, quod negare contendit eſſe factum?

Nunc affingit alteri, quod *inter* IACOBVM *&* PHILIPPVM *conuentionem initam ſcribat*; Cur verò? Quia Taraffæ Pag. 76.
teſte illo Yſabella *conſ rs fuit* PHILIPPI *Regis Franciæ, cui Carcaſſonam in Dotem tradidit*, &c. Id euincit porrò Pag. 75.
falſum eſſe, quia eſt *cōtra Iacobæarum literarum fidem* (quas tamen falſas & nullius eſſe fidei putat) falſum, quia *diſertè* Pag. 75.
IACOBVS *declarat ſe cum* LVDOVICO *paciſci* (cum quo tamen pepigiſſe illum quidquam negat) falſum, quia Pag. 76.
ſubſcriptio literarum (quam tamen fictitiam contēdit) *incidere non poteſt in annos Regni* PHILIPPI, *qui regnare orſus eſt anno* 1271. *quo* D. LVDOVICVS *in Africâ peſte ſublatus*

eſt: Quaſi luculentâ illâ notatione valde hîc opus eſſet, quam proferre ſaltem veram debuit, niſi aliter ſoleret ſemper; vt diceret, quod res eſt, anno 1270. quo S. LVDOVICI deceſſus paſſim notatur, PHILIPPVM ex Africâ nondum reducem iam regnare cœpiſſe, nec obſtitiſſe abſentiam quin regnaret; ſed Anno 1271. fuiſſe in Galliâ coronatum. Quàm argutè verò propter hoc ipſum exiſtimat contra Iacobæarum literarum fidem iſta dici! Quàm argutè *conuentionem initam inter* IACOBVM & PHILIPPVM ſignificari vult, quia Yſabella *fuiſſe conſors* dicitur PHILIPPI *Regis Franciæ*, cui conuentione illâ nupſit! Quàm argutè *conſortem Regis Franciæ* poſſe appellari non putat Yſabellam, niſi tunc nupſerit, cùm PHILIPPVS regnaret! Quàm argutè conceſſionem Dotis inde falſam euinci videri vult, vnde nuptias quoque ipſas, quas anno tamen 1258. pactas non dedignatur profiteri, quamuis deinde initas taceat, conuinci falſas oporteret; Aut poſt annos duodecim in Africâ factas, quando iam illic PHILIPPVS, & Yſabellâ quidem ſibi, quem proficiſcentem comitata fuerat, adhærente, Regni ſucceſſor eſſe cœpit; Aut cum ipsâ, quæ ſimul ex Africâ rediens in imis Italiæ oris occubuit, Yſabellâ defunctâ celebratas: Non potuit ſcilicet Yſabellæ Dos tradi vt Philippo nuberet, niſi qui dotem tradidit, cum PHILIPPO paciſci diceretur; Nec ſatis fuit, vt eam vice filij vix ephoebi Sanctiſſimus Parens LVDOVICVS admitteret! Non potuit Yſabella *conſors Regis Franciæ* dici, quia nondum Regina quando nupſit; quamuis regnante iam PHILIPPO, ante Regina quàm deceſſit! Non potuit per prolepſim ſaltem appellari *conſors Regis*, non qui Rex iam tum eſſet, quando cœperit eſſe conſors, & cum illo verſari; ſed qui futurus poſt fuiſſet! Prope eſt, vt Matthæo Euangeliſtæ litem apud Rotam Romanam tam argutis cauillis intentet Anteceſſor, quòd Genealogiam Chriſti deſcribens; de Ieſſe dixerit, *Genuit Dauid Regem*; qui Rex vtique dici non potuit, quando illum Pater dicitur genuiſſe; Aut Euangelium illud falſi poſtulet, quòd

annos

annos Regni Dauidis inuerterit, dum ſimul Regem ſcribit & genitum; ſuiſque ſubinde *Anachroniſmis* conuincat, non poſſe illius Regni annos in idem tempus incidere, quo eiuſdem generatio conſignatur: Quid non ſagacitas iſta tam ſolers poteſt?

Nunc & alteri affingit, *quòd eam tranſactionem de quâ agimus, non apud Corbolium oppidum, ſed Claromonti Aruerniæ Metropoli factam referat; neque cum* LVDOVICO, *ſed cum filio eius* PHILIPPO agitatam; atque hoc ipſum refellit, quia *non conſentit ſuperioribus*; quia PHILIPPVS *nondum ſolutus erat patriâ poteſtate*; quia *literæ* IACOBI *Regis (falſæ tamen) id mendacij arguunt*: Quàm rurſum ſubtiliter! vt veri Scriptoris narratio per confictas præſumptitiè literas mendacij putetur arguenda! Sed quàm falsò! vt prætexta narratio ſic ſe habeat ac refertur! Quippe continet quidem, vt per Yſabellæ cum Philippo matrimonium Principatus Catalanicus & Comitatus Barcinonenſis ad Aragoniæ Reges cum plenâ deinceps proprietate, ſupremoque iure, ſine vllâ hominij Regibus noſtris præſtandi obligatione, peruenerit; atque id Claromonti factum refert; ſed eodem quo cæteri ſuprà ſenſu, ſignificans hanc ipſam proprietatem, quam Regio conſenſu indultam notat, fuiſſe illic pleniùs perfecto matrimonio confirmatam; Nec initam Corbolij negans, quòd perfecta fuerit Claromonti, vbi narrat Matrimonium celebratum. Interim nihil aliud cum Philippo actû ait, quàm Yſabellæ matrimonium, quod mirum valde ſit, ſi cum LVDOVICO Patre celebratum notaret. Nec Philippum tunc aliter quàm S. LVDOVICI Regis Franciæ filium vocat; quaſi non regnantem adhuc, ſed hæredem Regni; nec ſui arbitrum, ſed in ſanctiſſimi Parentis poteſtate, viuentis adhuc ac regnantis, conſtitutum; vt nec aliud commentari potuiſſet, qui neſcire non potuit S. Regem tantò poſtea vitâ functum. Quin & ambos inter ſe Reges conueniſſe in eâ ciuitate addit, ac ſibi mutuò colloquutos; cùm non aliũ tamen Franciæ Regem quàm LVDOVICVM inſinuet, ſolumque *filij Regis* nomen veni-

Turqueto Pag 82.

Turquetus hiſtoriæ Hiſpanicæ l. 11. Not. Aragon.

Lib. 12. Notat. Aragon. Et poſt Notat. Aragon.

dicatum Philippo velit; quo LVDOVICVM expreſſiùs indicet, vt reipsâ conſtat, adfuiſſe præſentem. An id verò eſt, Meſplede, nihil cum LVDOVICO actum, ſed omnia cum Philippo? & id ab illo dici, cui affingis? Quanquam nec inde ſolùm peti debet, quid cum LVDOVICO actum ſit; qui iam antea per ſuos tranſegiſſet.

Nunc & alteri demum affingit, ac *ipſis Regni originibus audentiſsimè* fingit contineri, etſi iam aliud ſupra conuictum eſt; quòd *procuratorias matrimonij literas* ann. 1258. ad 5. Id. Maij Barcinone datas inde conſtet; Nec aduertens, quod & ſupra conuici, quàm id in eum *ad hominem* retorqueri ſtrictiſſimè poſſit; inculcat illud idem vehementer, vt contra id quod alij paſſim ſcribunt, *abſentes* eo anno ac menſe à ſe inuicem *Principes* colligantur; vt falſum ſit *aliquando* eos *ad colloquium conueniſſe*; vt *eadem dies procuratorijs literis Barcinone ſcribendis à* IACOBO, *& conueniendo apud Monpellerium Regi Franciæ aſsignari non poſſit*; vt nihil egiſſe *per ſe* tanquam *præſentes* aut *fæderi Corbolij ſanciendo interfuiſſe* dici poſſint; vt hæc inter præſentes conuentio *ex illis ipſis falſis literis quas damnamus*, inquit, refellatur, *vbi pacem per Legatos conciliatã, ſi qua fuit, teſtatur ipſe Rex*: ac denique ne ſimul fœdus cum coniugio initum fuerit, quia illud *oportuit ſaltem diebus aliquot anterius fuiſſe, ſi de coniugio actum eſt, quo ſanctius fœdus eſſet*; vt actum eſſe quidam notant.

Tilleto, Pag. 79 & 81.

Quantam vbique aciem in Regum arbitro mirari ſubit! vt hîc rurſum IACOBI literas *damnari* à ſe, authoritate quaſi iudiciariâ oſtentet velut fictas; & ex illis tamen refelli velit, quæ veri authores conſcripſerunt! Quantam induſtriam! vt Reges amicè primùm inter ſe colloqui, & Corbolij etiam conuenire potuiſſe nõ exiſtimet; ac deinde Legatis vtrinque ſuis perficiendum negotium commendare, quod ab illis tandem peractum comprobarent! Quantam ſagacitatem! vt alterum fœdus alteri diebus aliquot anteiſſe oportuerit, quia factum alterum, vt alterum ſanctius redderetur; quaſi non concurrere ſimul iſta tam aduerſa potuerint; Et quidem eo ipſo quòd alterum

anteire debuerit, vno vtrumque loco iniri non potuerit & ſanciri! Sed quantam falſitatem! Vt quatuordecim & ampliùs, à procuratorijs literis Anno 1257. ad 5. Id. Mart. datis, menſes in diem vnum nouâ Epochâ conſtringat; dum poſteriori Anno ad 5. Id. Maij datas fingit; Spatiũque illud ſubinde tantum intercipiat, quo iam, ante literarum effectum poſt tot menſes conſequutum, de mutuo Regum apud Montempeſſulanum colloquio iniri conſilium potuit; & reipsâ initio Anni 1258. vterque illuc potuit conuenire; potuit & vterque menſe Maio perrexiſſe Corbolium, vt negotium illic inter ambos conceptum agitare inciperent, ac Legatis relinquerent exequendũ; quod & Çurita illos præſtitiſſe, tam diligens huic arbitro ſcriptor, planiſſimè diſſerit; Tandemque perfectum ab ijs in Galliæ finibus & concluſum confirmare IACOBVS Barcinone in Auguſtum proximè ſubſequentem potuit; cùm iam ad ſua tanto facilè interuallo redijſſet. Nimirũ tanti erat, & ad Gallica tuenda jura tãtum intererat id negari, quod vel Galli paſſim omnes agnoſcunt; vt Originibus ipſis Regijs & earum relatori Tilleto affingi tam falſa oporteret; quò falſitatis conuinci viderentur, quæcunque tantus arbiter, aut peruertere dedignatur, aut probare non poteſt; quaſi nulla vſquam alibi veſtigia extarent, quibus deprehendi falſitas tanta poſſet.

Quale illud verò eſt, quòd ad grauius veluti pondus addit, *Regem Aragonum Monpellerium non veniſſe* quia *in tabulis huius vrbis, quas curioſi viderunt, nulla huius aduentûs mentio!* Quàm acuta præſumptio falſi! quàm ſagax! Quaſi toties in vrbium tabulas Regum aduentus referatur, quoties ad aliquam quauis occaſione acceſſerint! Aut Aragonum Regem, ex materno aſſe Montiſpeſſulani tunc Dominum, in proprium Dominium toties quoties aduentantem tanti fuerit publicis tabulis annotare, Aut LVDOVICVS IVSTVS negari toties debeat Lutetiã aduentaſſe, quoties tabulis publicis eiuſmodi aduentus non refertur: Qui curioſi tamen illi, Meſplede, quos ex tabulis iſtis teſtes aduocas? Cauſæ noſtræ non minimum Pag. 79.

à te detractum eſt, quòd non expreſſeris; ne ſpatia ſibi vltra mundana ſuſpicari quis cogeretur, vnde illos curioſiùs aduocaſſes; Nec minimum tuæ; ne plus æquo incurius videri hac parte poſſis, qui tam neceſſarium tibi argumentum non ſtudioſiùs exploraueris; vt quas aggrederis *Hiſpanienſium impoſturas*, inuictiori diſſertatione peruinceres. An fortè nō ſatis curioſus tibi explorator Catellus videatur, qui videri ſaltem elogio tuo *ſagax & diligens* potuit; vt res Occitanicas, quas in publicum efferret, perſcrutandas aggreſſus, omnes earum vrbium receſſus ac tabulas, quà licuit, perluſtrarit? Et illum tamen Aragonum Regis aduentum Anno 1258. exhibet; Ciuitatis illius conſuetudines comprobatas ab eo & confirmatas illic refert; Archiepiſcopum Narbonenſem, cum alijs pluribus è primâ nobilitate proceribus huic ipſi facto adfuiſſe teſtatur; Et eodem anno tranſactionem initam de quâ nunc agitur, cōtinuatim addit, quaſi factam illo ipſo aduentu ſignificet. Iudicet Lector, vtrum æquius arbitretur; an Senatori Toloſano, rem ſibi tam veriſimiliter è finitimis vrbibus exploratam, cum tam ſingularibus, diſtinctiſque circumſtantiis affirmanti, aſſentiri; an Anteceſſori Cadurcenſi credere, indiſtinctè neganti quod neſcit, quia fictitij curioſi non viderint: Etſi nec ex aduentu illo tranſactionis veritas pendet, ſed id à me notari oportuit, vt vel in adiaphoris comprobarem, quàm confidenter obtrudat, quicquid fingit; quaſi exploratius haberi nihil poſſe ſentiret.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

Quàm futile interim ex prædictis omnibus argumentum peti poſſit, quantacunque varietas, vel etiam contrarietas in ijs poſſit ac debeat annotari.

DEmvs vltrò tamen, vt in tranſactionis deſcribendæ circumſtantiis non omnes vno nutu conſentiant, qui deſcribunt; & excuſari à diſſenſu non poſſint: Ideo-ne verò negari ſubinde pactum illius debet, in quo quantum ad rem ipſam & ſubſtantiam ſpectat; nemo diſſentit? Conuelli ſanctiſſima quæque oporteat, & eorum firmiſſimam veritatem eludi; ſi ad ipſam rei ſubſtantiam explodendam ſufficere putatur, vt aut perſonarum, aut locorum, aut maximè temporum vnamquãque circumſtantiam non omnes vno tenore deſcripſerint; quod ipſi etiam Sacri Authores paſſim ſolent; quia quod præcipuum eſt, expendiſſe contenti, acceſſoria non morantur. Liceat hiſtoricæ rerum politicarum diſceptationi quidpiam ſacræ narrationis immiſcere; non vt comparatione iſtâ, quidquam rebus tam diuinis venerationis ac reuerentiæ detraham; ſed vt à fortiori aduersùs Theologum vrgeam, quàm hîc friuolè cœteris paribus ex hoc vno præſumat falſitatem; ſi præſumere illic, propter aliqua in ſpeciem diſſimilia, nihil diuerſi tamen ac repugnantis in ſacris narrationibus reipsâ verè habentiâ, nullus auſit; vel ob circumſtantias extra canonicam authoritatem quantumcumque diuerſas, dubiam rei ſubſtantiam ſuſpicari.

De annorum calculo quibus in terras Chriſtus venit, non omnes æquè conueniunt; Ideo-ne tamen veniſſe falsò ſcribant? Quo ætatis anno præcisè Baptiſmum ſuſceperit; an trigeſimo inchoato tantùm ac decurrente; an iam omninò elapſo, non conueniunt; Ideo-ne verò

ſuſcepti ab eo Baptiſmi veritatem infirment? Quot annos ab initio prædicationis vixerit, aut quot egerit Paſchata, non conueniunt; Ideo-ne illis de ipſius prædicatione, vel celebritate Paſchatis ab illo ſæpius frequentatâ teſtantibus credi non debeat? Quoto anno vitæ ſit paſſus, & an vltra ſeſquitrigeſimum tertium excurrerit, nec-ne; an decurrerit multò plures, non conueniunt; falſum-ne igitur ſcripſiſſe debeant, quòd ſit paſſus? Quo die paulò ante quàm paſſus eſt, Paſcha cum Apoſtolis egerit, & an ipſe legitimum anteuerterit; an Iudæi diſtulerint; an ille ſimul & iſti legitimo die, vt ego quidem nihil ambigo, celebrauerint, non conueniunt; Quin & ſui diſſensûs rationem ferè in Euangeliſtas ipſos retorquent; ſed perperam, quia non à ſe ſatis intellectos; quibus vtique planiùs intellectis illud conſtat, vt in vnum diem celebratio vtraque concurrerit; Ergo-ne ſuſpectos eſſe oporteat, qui hoc ipſum Paſcha conſentiunt quoad rem ipſam à Chriſto celebratum? Quot & quanta notari alia id genus poſſint, quæ vel proinde in conciliandis Euangelij Scriptoribus tam ſtrenuam Sacrorum Interpretum operam exercuerint ſedulò ſemper, & etiamnum exerceant? Eorum-ne ideò apud Anteceſſorem fides nutet?

Sed his eum exemplis non oportet vrgeri; Theologica, Regiarum rerum arbiter, tantiſper intermiſerat, vt Politica ſibi exequenda ſuſciperet. Suo illum pede ac palmo metiamur; Et vel politico vno exemplo ex iiſdem temporibus repetito, quàm prædicta prudenter obiecerit, moneamus. LVDOVICVM ipſum Sanctum ad expeditionem Terræ-Sanctæ anno 1246. profectum Deſerrius notat; & eam tamen profectionem in annum 1248. Gallici Annales reijciunt; reijcit Dupleixius; Tilletus & ipſe reijcit; An propterea falſam & confictam profectionem inclamet Politicus Anteceſſor, quam veriſſimam præter omnium voces, ipſa fremitu ſuo maria clamant, & littora ipſa teſtantur? Niſi quòd eam vix agnoſcere debeat, qui tranſactione iſtâ quam negat, nihil à Sancto Rege commemoratu dignius factum eſſe

agnoſcit, ſi eam agnoſci factam oporteret. An hanc ipſam tranſactionem profectione illâ tam piâ, in oculis orbis terrarum apparatâ, vel rebus ipſis Euangelicis, notiorem eſſe oportuit; vt hîc *adeò variatum in re quæ debuit eſſe omnium notiſſima*, inclamaret adeò vehementer; indeque tantam *falſi præſumptionem* putaret eruendam? Pag. 82.

Nihil ad pacti falſitatem iſta, Meſplede, vt aliter atque aliter hiſtorici factum narrent, quibus vel excidere humano lapſu tempus, vel decurſus illius non aduerti, vel eſſe ignotæ circumſtantiæ, vt in rebus ipſis maximè publicis & palàm notis contingit, potuerunt; Niſi & præſumpti contractus, vel prætextæ illorum Origines contradicentia quæpiam in variâ ſui exhibitione contineant; quia niſi vniformiter obfirmari non poſſunt: Sed vide ne plurimùm ad fallaciam tuam, vt ex hiſtoriarum varietate præſumptâ, etiam contractuum contrarietatem obtruſeris à te fictam; vel ad *præſumptionem falſi* ex variis contractibus, inſtrumentiſque contrariis euincendam tota iura vocaueris; vt hîc illam tamen è ſolâ hiſtoriarum contrarietate (qualem fingis) aut varietate colligeres. Nihil ad rei falſitatem, vt in circumſtantiis apud enarratores aberretur, niſi quando ſubſtantiam circumſtantiæ illæ per ſe ſaltem attingunt; nec aliunde res habet vt conſiſtat, niſi à circumſtantiis ipſis quas exploratò conſtat eſſe fictas; & eædem illæ circumſtantiæ à communi veriſimilitudine ſic abhorrent, vt vel ſenſus repugnet ne fingantur; ac cœtera denique omnia veritati depugnant, & ſubſtantiæ obſtant, ne credatur. Qualia ſi fortè, vt exemplo dicam, ad Papiſſæ figmentum, quo nugacius nullum, & æterno fabulatorum ſuorum ludibrio dignius eſſe poſſit, explodendum afferres, vt prudentiſſimè alij digniori operâ retulerunt; haberes vnde poſſes veriſſimè aduerſùs *Ardeliones* hæreticos totis faucibus inclamare, non *manifeſtiſſimam* dumtaxat *falſi præſumptionem*, ſed ineptiſſimam vertiginoſæ mentis euagationem, pudendo probro in male-ſana capita retorquendam! At vt in eo facto, quod ſubſtantiâ quidem ipsâ notiſſimum cœtera

omnia faciunt, ſed è circumſtantiis palàm notum nihil; cogit vt faciant, quia illæ contractibus penitiùs aſſeruatis definitæ ſunt, non in conſpectum omnium exhibentur; vel facillimè, quantumuis in eos incurrerint, prætercurrunt; inde præſumas tamen facti ſubſtantiæ non credendum, quia *in re notiſſimâ* quoad circumſtantias *variatum*; quâ hypotheſi?

Veruini fœdus, & initam illic pacem norunt Galli omnes; an & circumſtantias ita norunt, quibus de pace conuentum eſt; vel eum præcisè annum notare omnes poſſunt, quo conuentum eſt? Edicto Nannetenſi nihil illis notius; an & circumſtantiæ omnes omnibus ita notæ? Profligatam hæreſim, expugnatas illius arces, propugnacula diruta, rebelles in poteſtatem Iuſtiſſimi Principis, totâ ferè Occitaniâ vel finitimis oris reuocatos, Rupellam fœliciſſimis armis triumphatam, inter cœtera illius tot ac tanta paſſim trophæa, noſtro ipſo ſæculo nemo non vidit, non audiuit, non compertò nouit; Circumſtantias tamen quotuſquiſque nouit? Imò ipſum tempus, quod facillimum notatu eſt, quotuſquiſque aut intercurrens annotauit, aut ſubinde dilapſum non & excurriſſe ſibi ſentit, vt nec illud certò poſſit reminiſci? Nec tu hæc omnia fortaſſis tam curioſus explorator annotaris, & magnâ ex parte mihi fateor excidiſſe, niſi quæ altiùs ex adiunctis quibuſdam inhæſerunt. An & contigiſſe illa continuò neges; ac vt ille, quem ſcio Rupellam ipſam expugnatam poſt multos inde annos in mediâ Galliâ figmentum reipſâ credidiſſe, id & eſſe fabulam perſuadeas? Aut ſi à quoquam tam præclara id genus exarante variatum in circumſtantiâ fuerit minùs notâ, vel excuſsâ memoriter, ſtatim rem ipſam falſi accuſes? Cur in iſtâ igitur tranſactione id contendas? & quod incautius quidem eſt, in eo momento tam leui, aliiſque ſimilibus tam erraticis, totum Gallici iuris conſtituere audeas firmamentum? Quãuis nec reipsâ varium ibi quidquam eſt, ſed parum firmos eſſe oportuit oculos, quibus *vmbraticè* dumtaxat varia viderentur, quæ tam vna oſtendi.

CAPVT

CAPVT NONVM.

Quàm inconſultò & imprudenter in ipſam S. LVDOVICI pietatem torqueri tranſactionem velit; vt vel antea vſurpator, vel ſtolidus poſtea fuerit, ſi tranſegit.

CONSTITISSET hîc ſaltem, nec excurriſſet longiùs Anteceſſor; vt ſatis illi eſſet abnuere, quod cæteri annuant; repudiare quod amplectantur; putare fabulam, quod publicis etiam tabulis exaratum agnoſcant; Atque id *ſuſpicionibus*, *coniecturis*, *præſumptionibus*, *inerrantibus vmbris*, tanquam *certis & claris argumentis* euincendum conari; aut prætextam illius falſitatem ſuſcipere tam inanibus næniis quaſi demonſtratione conuellendam. Ludus videri potuerit in vnum eum reciprocandus, quo ſe viciſſim veriſſimè illudendum exhiberet; Vt illudere oculos voluiſſet; Vt veritatem eludere tam apertam; Vt authores tam immeritò ludere, qui tam vera ſcripſerunt; Vt deludere Hiſpanos tam audacter, qui affictas ab illo ſibi, ob rem Gallis tam ingenuè confeſſam, impoſturas tam ludibundè retorqueant; Vt noua ſibi vni & vetera patuiſſe gloriabundus oſtentaſſet; Vt *gloriam de veteribus & obtritis*, velut indignam tam neceſſario conatu ſuo, reſpuiſſet; Vt *nouam artem ſuam, ſed in gratiam veritatis, quæ eſt antiquiſſima*, nondum ab aliis hactenus, quantumlibet *eruditis & claris*, excogitatam, velut ille olim ſuum εὕρηκα, venditaſſet. Aut quod ſummum eſt, paulò commotior prò *patriâ & Regno*, *cui ſeipſum conſecratum* oſtentat, zelus, vel emotior animus videretur; vt hoſtes Gallicos tam incautè laceſſeret, ac retorquenda in ſe tela tam impotenter intorqueret: Niſi & plus portentoſæ præſumptionis quàm *noua artis* credi poſſet, vt ſe vnum opponeret vniuerſis; ac ſolum ſe *præ-*

In Monit. ad Lect.

ſtigÿs, quæ vel primores Gallorum deludere, aiente illo, potuerunt, iactaret non deluſum. Sed vt in ea eruperit quæ ſequuntur, videri ludus non poteſt, quo neceſſe ſit ſic ex falsâ hypotheſi pietatem ac decus Regum noſtrorũ dependêre, vt eorum alioqui memoriam oporteat verbis indigniſſimis vellicari; & *ſtoliditatem* in LVDOVICO Sancto; violatam religionem ac fœdus in PHILIPPO; vſurpationem in vtroque iniuſtam reprehendi; Præter affictam indidem LVDOVICO IVSTO ignominiam ſempiternam, quæ citra illam ipſam hypotheſim excuſari, eluique non poſſit.

Deſpondere pro illo velim non id ſponte factum, ſed errore; Spondere non facturum, ſi hunc nexum aduerteret; polliceri reuocaturum, vbi aduertiſſe potuerit; At imprudentiàm nemo excuſet, quòd non aduerterit, ne tam friuolis præſumptionibus, tam futilibus coniecturis, tam fiduciariis Authorum illuſionibus, & corruptelis tam apertis; ac tam vanis, quibus omnes repugnant, indiciis, tanti momenti tamen illationes & ſequelas tam periculosè connecteret; dum tam acutè ſe facere id putat, vt veluti ab adiunctis & conſequentibus tranſactionem probaret nunquam factam. Vt vellem, iſta ſaltem tam grauia non ſcripſiſſet! Sed ſcripſit: *Si cauſam ſcribendi requiris*, inquit, *vna fuit ipſa veritas; deinde Regum noſtrorum gloria: Pati enim non potui illam diutiùs in alicuius criminis ſuſpicionem vocari; ac ſi* D. LVDOVICVS *contra illam, quam profitebatur, quæque illum in cœlum extulit pietatem, tot tantaſque vrbes, ſubiectaſque eis ditiones quæ in Iacobæis literis enumerantur, aut ſtolidè alienis dimiſerit ſuas; aut contra fas inuito illarum Domino tot per annos occupauerit alienas.* (In Monit. ad Lect.)

Ecce vt Ludouico Meſpledo LVDOVICVM SANCTVM fuiſſe ſtolidum oporteat, cùm tranſegit; aut nefarium, priuſquam tranſigeret, ſi tranſegit; id eſt, ſi hoc egit, quod egiſſe illum ſolus negat; agnoſcunt Galli omnes; tabulæ Regiæ clamant; affirmant illa omnia quæ protulimus; negare ipſe niſi adulteratis omnibus, falſa-

tiſque non potuit. Pergit & exequi cœtera, quæ ſeorſim excutienda, prætereo; vt hoc vnum hîc expendam de Sanctiſſimo ſimul ac prudentiſſimo Rege tam imprudenter meditatum.

Nefarius-ne fuerit vt ſubinde tranſigenda vendicaret, cui perſuadere momenta priùs tam veracia potuerunt, vt honorifico ſaltem Dominio tenus vendicare iuſtè poſſet, quæ nec aduerſarij negant, quin quodammodò vendicare potuerit? Stolidus-ne fuerit, vt vendicata tranſigeret, quem tot prudentes ac piæ cauſæ mouerunt, vt conſentiret tranſigenda; quæ contentioſis aliunde iuribus viciſſim ſibi remiſſis, omnem hinc inde litis prætextum ceſſione mutuâ reuellerent, querelamque ſopirent; quæ Regni vtriuſque concordiam, proximo etiam prolis mutuæ Matrimonio conſecrandam, ſtabilirent; quæ ad *æternam illam pacem* tantoperè illi optatam, adeoque ſolicitè *inter alios omnes* quoad potuit, *procuratam*, amicum vtrinque animum compararent? Mitiori ſaltem vocabulo denotaſſes, Meſplede, quicquid illud eſt hac in parte, ſi quid eſſet porrò, quod in ſuum ac Regni commodum, tanto ſtudio pacis, tantâ nocumenti cuipiam inferendi conſcientiâ, tanto contentionis & rixæ metu; tantâ tam ſanctè ſecum ſtantis, & humanis rebus diuinas tam Chriſtianè præferentis animi facilitate peccauit.

Sed ſtolidus vtique fuerit, ſi ſua ſic dimiſit alienis, vt pacificè à ſe tranquilléque poſſeſſa nudo in alium dono transferret; vt citra vllam, quæ præſumi æqua poſſet ac ſuppar, compenſationem propria vltrò iura dimitteret; vt certa & indubitata Dominia, nec vlli obnoxia controuerſiæ, vmbraticis tantùm & ambiguis commutaret; aut hæc demum omnia cum priuato ſui diſpendio citra vllam boni publici ſpeciem abdicaret. At ijdem illi, non Hiſpanienſes Meſplede, ſed Galli, & inter Gallos primi, qui tranſactionem factam agnoſcunt, ſimul agnoſcunt etiam, quàm dubia de vtriſque iuribus diſceptatio eſſe poſſet; quàm ancipites vtrinque produci rationes; quàm realis & vera Dominij vtilis, dote conceſſi, poſſeſſio;

quàm vtrinque præſumpta iuris honorifici vendicatio, cui ſubinde renuntiatum eſt; quàm id vtile Regno fuerit ad omnem belli ſementem & occaſionem amputandam, perenniſque in perpetuum pacis radices altiùs ac firmiùs defigendas; Et quàm perniciosum alioqui futurum fuiſſet id eâ tranſactione non ſopiri, quod perpetuum eſſe poſſet, niſi tam prouidè ſopiretur, contentionis ac litis incentiuum. Id & nuperrimè diſertiſſimis verbis, poſt præfatam iurium ceſſionem admiſſam, CATELLVS iam laudatus agnouit; Stolidus-ne tibi etiam, cum Rege olim Sancto, Senator tam integer, qui iura neſcierit; qui publica Regni emolumenta neglexerit; qui ea, quæ tam acutus explorator videre potuiſti, non viderit?

Lib. 4.

Atqui te Menochius tuus, tam ſæpe tibi oſtentatus, docere potuerat, *Renuntiatione quidem iuris præſupponi ius adeſſe*;[a] *Nihilque ceſſionem operari, niſi probetur ius habere qui cedit*;[b] *Sed permitti tamen ob iuſtam cauſam, quam dubius litis præbet euentus*;[c] *Nec tranſactiones vllas, ex quo de re dubiâ, & lite incertâ fiunt, cenſeri prohibitas*;[d] *Nec tranſigentem ſuper re dubiâ, dici læſum*;[e] proindeque nec ſtolidum dici poſſe, ſi tranſigat. Monere te inſita ipſa ratio & conditio Regum poſſet, quàm tales plerumque ſint eorum contentiones & cauſæ; quàm pendulæ interim, & quadam vtrinque veriſimili ſpecie præſumptæ illis non paucæ ditiones; quàm obnoxiæ bellis lites, quas hinc inter ſe mouent, & quàm incerti bellorum exitus, quæ vtrinque apparari contingit, ob eas decretoriis armis tam cruento euentu dirimendas, & nullo ſæpe ſucceſſu terminandas; Vt & hîc tales agnoſcens, quales interceſſiſſe ſuperiora monuerunt, prudentiam non mediocrem ſuſpiciendam intelligeres, vbi ſtoliditatem ſuſpicari non tantùm ex falsâ hypotheſi tuâ, ſed ex veriſſimâ, quam negas, theſi deſpiciendam in Rege Sancto colligere non vereris. Qualis ipſe porrò habendus, qui tam incautè pronuntias, vnde *ſtolidus* ille dici debeat, quia verè tranſegit; & ſtolidi, præter te Politicum tantum, cœteri omnes videri, qui profiteri diſertiſſimè non detrectant, quòd

a Conſil. 658. initio.
b Eod. Conſil. num. 4.
c Conſil. 994. nu. 9.
d Conſil. 322. num. 65.
e Conſil. 154. nu. 9.

quòd reipſa tranſegerit; quin & paſſim laudant bono publico tranſigentem.

CAPVT DECIMVM.

Quàm inſcitè, niſi fraudulenter, ex ipſâ tranſactionis hypotheſi fœdifragum ſimul & ſacrilegum in inuadendâ Cataloniâ PHILIPPVM *tertium colligat, vt eam tranſactionem euincat non factam; & quantam hoc ipſo, non* PHILIPPI *virtuti dumtaxat, ſed Gallico nomini gloriæ partem detrahere non formidet.*

NEc verò qui Parentem ſtolidum pronuntiare non refugit, ſi tranſegit, ſentire de filio refugiat vt & inuaſor ſubinde fuerit, cùm eadem quæ tranſegerat Parens, occupanda repetijt; Imò plus aliquid, vt quia PHILIP- In Monit. PVM ipſum filium (ſupponēte iam illo) tranſegiſſe oporteret, ad Lect. quem tranſigere non potuiſſe tam enixè antea cōtendebat, neceſſariò etiam *contra ius Gentium, & fœderis ac Sacramenti religionem peccauerit; cùm & magno comparato exercitu* CATALANIAM *inuaſit; &* PETRVM *Aragonum Regem ſororium ſuum, in eo bello, ſuorum ferro interemit; & ipſe violatæ fidei pœnas dederit, cùm grauioris cæli impatiens,* Pag. 98. *febreque correptus, in eâ expeditione diem obiit.* Ac (malè 96) tanti hoc illi argumentum eſt, vt & alibi rurſus inter illa & Pag 99 inculcet, *quibus tranſactionem negat factam; videaturque illi vehemens coniectura* D. LVDOVICVM *Imperio Catalanos non exemiſſe, maximè conſentiente & laudante* PHILIPPO *filio, atque in gratiam nuptiarum* YSABELLÆ *Aragoniæ; quandoquidem* PHILIPPVS *Patre mortuo antiqua maiorum iura repetiturus,* CATALANIAM *magno cum exercitu ingreſſus, ad Gerundam vſque penetrauit, quam poſt diutinam obſidionem cepit;* Atque id *magnum* eſſe *continuatæ poſſeſſionis argumentum, & falſi coniecturam veroſimillimam* ſtatim inculcat. Ita nullam fuiſſe PHILIPPO cauſam aliam ag-

grediendæ Catalaniæ videri vult, quàm vt antiqua Maiorum iura repeteret: fuiſſeque alioqui fœdifragum & ſacrilegum, & violati iuris Gentium reum; vel excuſari nòn poſſe, quin fuiſſe videri poſſit; ſi tranſegerat LVDOVICVS.

Conſcientiam hîc tuam tantiſper, Meſplede: factum illud PHILIPPI tertij legiſti, nèc-ne, vnquam? Vt non legeris; quàm incautè inculcas, & fiduciâ tantâ vrges! Vt legeris; quàm fœdè adulteras, & fraudulenter aliud omnino refers, quàm ſcripſerint, qui te docere illud potuerunt! Deerat hoc ſcilicet *nouæ arti tuæ*, quæ corrigere cæterorum conatus infœlices, & erratitias operas tam auſpicato Magiſterio ſuo ac Rubricâ tam fideli haberet; vt hanc non infimam gloriæ partem detraheres Gallico nomini, quam PHILIPPVS annuentibus omnibus tam inſigni facinore comparauit, dum inuitis omnibus id contendis, vt integra ſemper Galliæ iura remanſerint, quæ LVDOVICVS abdicauit; ſiue non abdicarit LVDOVICVS, quia integra PHILIPPO remanſerunt. Quis non omnium, eâ ipſâ conceſſâ præteritæ tranſactionis hypotheſi, hoc in Galliæ gloriam ſempiternam & immortale PHILIPPI decus redundaſſe annotat, vt Catalaniam inuaderet, quod interim tu, piaculum tibi fingis; quòd, perfidiam; quòd, probrum tam infame: nec vnquã, niſi diluente ſpõgiâ tua, id eſt, obliterante chartas omnes, vt ſecuriori mendacio negetur antea factum eſſe quod factum eſt, eluendum? Ac ne parum ſit vnam vtrinque partem tam inſignis gloriæ detraxiſſe, geminam ſimul eripis; vt & cauſam abijcias, quæ Catalaniam tunc temporis Galliæ tanto merito ſuo ac ſplendore comparauit; & animum diſſimules, quo PHILIPPVS ad vendicandam illam tam Chriſtianè conuolauit.

MARTINI IV. Pontificis inueſtiturâ comparatam; eâque tunc recens PHILIPPI filium natu-minorem CAROLVM per Pontificiam conceſſionem donatum eſſe; cùm eam Pontifex PETRO Aragonio peculiari feudatario ac Vaſſallo ſuo, diris ob contumaciam

deuoto abdicaſſet; omnium vna mens eſt; Et ad eam ſub-
inde occupandam profectum eſse cum exercitu tam in-
genti PHILIPPVM, vt infenſum Eccleſiæ Principem
vltrice Religionis ac fidei manu coërceret, omnes profi-
tentur, etiam qui minimè omnium id ſcripſiſse vellent,
niſi malè in Eccleſiã ipſam affectos rei euidentia coëgiſ-
ſet: Ac ij quidem quos in re Gallicis hoſtibus tam infen-
sâ cauſari non habeas *Hiſpanienſium præſtigijs, fraudibuſ-
que deluſos.* Hoc nuper CASSANVS in eomet opere,
iam notato, vbi ex profeſso Regum iura noſtrorum in-
ueſtigans, nihil omittit ſpeciatim quod ad antiquum in
Catalaniam jus pertineat, quo maximè tempore nihil de-
buit prætermitti; Et quàm demeruiſse hoc mulctæ genus
PETRVM Aragonium annuit, qui iam inde ab anno
1034. quo Regnum Aragoniæ ſtabilitum eſt, quaſi De-
ceſsorum ſuorum vice, ſed eò ampliùs peculiari Sacra-
mento ſuo, ab anno ipſo mulctam hanc præcedente, *Sedi
Apoſtolicæ* ad hominium præſtandum obnoxius, in leges
illius ac reuerentiam rebellaſset; Tam Galliam de Pon-
tificibus & Eccleſiâ meruiſſe vrget, vt hoc ipſi præ cæte-
ris beneficium conferretur. Hoc PAPYRIVS Maſſonus,
qui Annalium HENRICO III. nuncupatorum lib.
3. in PHILIPPO III. poſt PETRI Aragonij re-
cenſita flagitia, quibus iram deinceps Pontificiam inflam-
marat; *Tandem*, inquit; MARTINVS *Pontifex illum,
perjurij, rebellionis, perfidiæque erga Eccleſiam reum, Terra-
conenſi Regno indignum pronuntiauit*; idque CAROLO,
PHILIPPI *ex ſorore Tarraconenſis minori filio occupan-
dum dedit: Miſſò in Galliam Legato, qui Francos veluti ad ſa-
crum bellum inuitaret; aduersùs hominem, Regiâ dignitate,
minacibus tantùm verbis, exutum*: Et paulò poſt, Philip-
pum ſubinde refert *ingentem exercitum in Galliâ Narbo-
nenſi inſtruxiſſe, vt inde in Cataloniam duceret; ad occupan-
dum, ſi Deus & fata ſinerent Terraconenſe Regnum.* Hoc Ri-
gordus qui de Geſtis Philippi ſic habet; *Anno* 1285. PHI-
LIPPVS *Rex Franciæ circa Pentecoſten exercitum comparauit,
vt Regnum Aragoniæ conceſſum filio expugnaret*; Moxque

IACOBVM, eius qui tranſegit IACOBI minorem filiū; & PETRI fratrem, eâ occaſione laudat, vt non *de parte ipſius* PETRI, *ſed Eccleſiæ*, inquit, *& Regis Franciæ ſe tenentem*. Hoc Annales Gallici, iam à nobis antea prænotati; qui PETRVM *Aragonem* à Martino IV. *Anathemati deuotum*; *Aragoniam interdicto addictam*; *illum eius iacturâ mulctatum*; *eam ſubinde ab Eccleſiâ Romanâ* Philippi *Franciæ* (quem Philippum IV. à III. tunc morte Regem intelligunt) *fratri*, CAROLO *nuncupato*, *Valeſiæ Comiti*, *conceſſam*; *Et eâ causâ Regem Franciæ* (Philippum III. Patrē) *ad Aragonium Regnum comparandum commeaſſe*, *ac Ruſſilionis ditionem occupaſſe* teſtantur; vt vernaculè illic ſcriptum videre quiſque poſſit. Hoc iam olim Duplexio referente ac laudante Nangiacus; quem vereor ne recurrente adhuc tibi tam acerbi vini, de quo ſuperiùs, guſtu nauſeabundus excipias; aut illius teſtimonium, velut *otioſi ac nugantis hominis*, qualem à te habitum vidimus, commētationem aſperneris. Hoc tum à ſeipſo Dupleixius, tum ex illo; dum Philippum inprimis notans, *Petri Aragonij perfidiâ & ignauis artibus*, *in Caroli*, *Andegauenſis Ducis & Siciliæ Regis*, *Patrui ſui*, *gratiam*, *prouocatum*, *Ioanni Acrenſi Equiti præcepiſſe*, *vt ad Regnum Aragonum deuaſtandum cum exercitu aduolaret*; *Ac tantam ſubinde illis vaſtitatem*, *agente Ioanne iſto*, *ſubſequutam addens*, *vt eum Rex hoc audito nuntio reuocarit*; Notare deinceps pergit, vt *quamuis illius reuocandi cauſa eſſe potuerit commiſeratio ipſa Regis*, *quâ tam immane damnum finitimo Regi*, *ſuæ vxoris fratri*, *illatum indoleret*; *id præſtitum tamen veriſimiliùs videretur*, *quòd Regnum filio ſuo à Pontifice collatum ab vlteriori clade tectum vellet*, quò magis integrum ſeruaretur, & ad filium perueniret. Addit, quàm inſtanter vrgeret Pontifex, vt illud occuparet Philippus; Addit vt eo fine Ioannem Cholętæum S. Cæcilię Cardinalem in Galliam Legatum amādarit, qui hoc ipſum eidem Regnum ſuo nomine ac ſpeciali mandato conferret occupandum; Addit, *vt ad maturam ſuper eâ re deliberationem ineundam* PHILIPPVS *Rex*, *magnum* ex Nangiaci verbis *Parlamentum*, id eſt, *Pro-*

Procerum Regni conſeſſum Lutetiam conuocarit; Addit poſtremò, vt *filii ſui nomine donationem & collationem Aragonici Regni per Legatum hunc illi factam, ex eorum conſenſu & conſilio, acceptarit.*

Quid quòd ne Haillianus quidem hoc præterit? *Interdictum communione Aragonem; Regni iure priuatum; Solutos fidelitatis præſtandæ Sacramento ſubditos; Regnum ipſum* CAROLO *Valeſiæ Comiti, Regis Franciæ filio, condonatum, ne velut in alienam à* PETRO *familiam ſceptrum Regni tranſlatum conquererentur Aragones; hanc fuiſſe cauſam vt Galli ab inſtituto Siciliæ reſilirent, & comparatas belli vires omnes aduersùs Aragonium Regnum opportunè conuerterent; proceſſiſſe milites cruce rubeâ inſignitos, vt ſi ad ſacrum bellum commearent; Interfuiſſe Legatum, qui contumaces vrbium incolas Anathemate comminato vrgeret; Ac illo denique in vnam aliquam Anathema fulminante, incitatos adeò Gallorum militum animos, & in illam accenſos; vt iteratâ vehementiùs obſidione propediem expugnatam profligarent, peſſumdarent, flammis vltricibus concremarent?* Hæc in Hailliano vernaculè videas planiſſimis verbis, vt hîc exprimo, conſignata; Et aliorum teſtimonia pariter proſtant; quæ annon ita conſtent, velim omnes expenderint; ſi cui dubium id eſſe poteſt, aut ignotum.

Quid multa? In vno habe omnes: Tilletus, Meſplede, Ille Tilletus, qui tibi *Origines Regias omnes magnâ diligentiâ perſcrutatus eſt*, hoc vnà cum cœteris profitetur, dum in Regum Franciæ Collectario, quod ſcrutari debueras qui ſcrutatore illo tantoperè gloriaris, vernaculè ad Valeſiam lineam habet, CAROLVM Franciæ *fuiſſe à* MARTINO 4. *Pontifice ſimul cum Aragonij & Valentini Regni ditionibus, Barcinonenſi Comitatu inueſtitum; ſeque ipſum Regis appellatione inſcripſiſſe, donec pro bono pacis hunc à ſe titulum ex pacto abdicauit.*

Quidquam-ne hîc porrò non vndique PHILIPPO ſimul & Galliæ glorioſum? ſiue quòd facta conceſſio; ſiue quod bellica expeditio ad capeſsēdam illam & fruendam apparata, vt Pontifici vrgenti pareretur? Nam & id re-

ctiſſimè Caſſanus annotauit, quod aliis tot exemplis, & quidem eorumdem temporum euentibus comprobatum notari poteſt, compenſationem quãdam beneficij fuiſſe, toties Apoſtolicæ ſedi quoad licuit amplificandæ, quauis datâ occaſione, à Regibus noſtris exhibiti; Niſi & fiduciam officij quod in euentu non diſſimili expertum toties, nunc etiam ſibi ab illis maximè deſponderet; vt conceſſionem illam Pontifex Galliæ potiſſimùm putaret indulgendam; Quamuis & quodam inſito in patriam, Gallus ipſe Turonenſis, affectu præſtitiſſe videri poſſet; vel iure ipſo cognationis quâ PETRVM Aragonium Carolus Valeſius nepos attingebat, ob occaſionem querelæ remouendam, præſtandum ex aliquorum teſtimonio credidiſſe.

An igitur tam gloriosè conceſſam ſibi pro ſobole ditionem, quaſi ex conceſſione illâ tam iuſtâ & ex voto Pontificio, tam ſolenniter PHILIPPVS vendicarit; vendicandam armis tam obſequenter ac piè adorſus ſit; tam reuorentem ſe ac pronum in Eccleſiæ placita & nutus iſtâ occaſione præſtiterit; Imò id Gallia ipſa tanquam inſigne Regis de Religione bene meriti monumentum in admodum difficili causâ inculcandum putarit, cùm Acta inter BONIFACIVM 8. & PHILIPPVM 4. cognomento Pulchrum, huius filium, in ipſius filij defenſionem vrgẽt, quòd *Eccleſiæ cauſam in Aragoniâ defendens Pater, in eo tam pio inſtituto deceſſerit*; Tu tamen ementitæ fidei poſtules, tam integrum; violati iuris Gentium, tam Eccleſiæ legibus obſequentem; contemptæ Religionis, tam illius defenſioni addictum; ſi tranſegerat Pater quod reipsâ tranſegit? Atque his illum titulis inſigniendum ſignifices; præter mentem quidem, ſed quàm incautè! quod in Catalaniæ fines, niſi tranſactio negetur, irruperit; quamlibet iuſtis cauſis ac piis, eâ licet factâ, irrupit? Et eo te putes Regum labem ac maculas, quas infœliciter eluere tentauerint alii, nunc primùm eluiſſe? Quàm fœliciter?

CAPVT VNDECIMVM.

Quàm inſcitè rurſus aut fallaciter ex eodem PHILIPPI *facto, præter omnium teſtimonia, irrupiſſe illum in Catalaniam, velut antiqua Maiorum iura repetiturum, obtendat; & quàm ex propriis quæ producit exemplis, peremptoriè conuincatur.*

VT nihil verò eſſet, quod Gallici nominis gloriæ, aut PHILIPPI virtuti hoc exemplo tam incautè prolato detraxiſſet inauſpicatus vindex; adhuc illum tamen tam præter ipſam rei euidentiam eo abuſum videri neceſſe eſt, vt aut omnes hiſtoriæ, quæ hoc ipſum attingunt, mentiantur; aut vel inde conuincant falſitatis id quod oſtentat, vnde ſtabilire ſe id putat quod contendit. Quota quæque hiſtoria expugnatas PHILIPPO in eâ expeditione vrbes eloquitur, quæ non illius fuiſſe non ſignificet, ſed in IACOBI Maioricarũ Regis Dominio conſtitutas; qui aduersùs PETRVM Aragonium fratrem pro Eccleſiæ ſimul & Galliæ causâ cum PHILIPPO conuenerat; vt alter interim conceſſum ſibi pro filio regnum Aragonium vniuerſum cum Barcinonenſi etiam Comitatu occupare; Alter, ereptum ſibi à PETRO fratre, Ruſſilionis Comitatum recuperare cum adiunctis hinc illinc locis moliretur?

Nihil expreſſius in Rigordo, qui vbi militibus præcipientem PHILIPPVM exhibuit, *Vt è Narbonâ, &c. versùs terram Roſſilionis equitarent: Erat autem terra illa*, inquit, *in Regis Maioricarum Dominio, qui* PETRI *de Aragoniâ frater, non de parte ipſius, ſed Eccleſiæ & Regis Franciæ ſe tenebat*. Scilicet IACOBVS Pater futuræ filiorum ſorti paternâ charitate proſpiciens, ac de maioris-natu PETRI aſperiore in alios indole metuens, ne impotenti Dominio violentiùs oppreſſos, vel ipsâ natalium prærogatiuâ

fraudaret; ſupremo ſub mortem placito cauerat, & quantumcunque PETRVS iam tum obſiſteret, obfirmarat, vt ille quidem natu-maior in Aragonicum & Valentinum Regnum ſimul cum Catalaniæ Principatu ſuccederet; ſed IACOBVS natu-minor Maioricas & Minoricas inſulas Regio titulo ſimul cum Roſſilionis Comitatibus obtineret. Ac eam ipſam partitionem planiſſimè Turquetus his omninò verbis, niſi quòd vernaculis, refert; eandemque mox à PHILIPPI cum Yſabellâ nuptiis verſatam in conſeſſu Regio narrat; ac ſubinde hoc ipſo modo quem retuli, contra PETRI reluctantis, & nulli ſe quoad hoc definitioni niſi per vim ſtaturum proteſtantis, reclamationes definitam. Quid expreſſius, vt non ſua iam à nuptiis aut Majorum iura in iis ditionibus repetenda exiſtimaſſe intelligatur, quas inter illos, quorum proximè ſororem duxerat, diſtributas intelligeret, nec reclamans; intelligeret LVDOVICVS diu poſtea viuus ac ſuperſtes; nec ampliùs, vt ante iam fecerat, reclamaret? Nihil expreſſiùs in Annalibus Gallicis, qui ſtatim inter prima expeditionis PHILIPPI tentamenta, in vrbem Genuam, inſigni alteri Liguriæ ciuitati cognominem, vt multi vocant, profectum eſſe illum referunt; *quam*, inquiunt, *Rex Aragonum* PETRVS *Regi Maioricarum* IACOBO *à partibus Franciæ ſtanti extorſerat*. Nihil expreſſius in Hailliano, qui exercitum anno 1285. die 6. Maij ciuitati Perpiniani admotum notans, addit ſimul *vt ſe Iacobo Regi ciuitas illa reddiderit* (vtique quaſi iam ante dedita) *& Gallos interim tamen vnà cũ illo ſuſceperit*; Pergit, *vt aliæ Ruſsilionai Comitatus vrbes Perpiniani exemplũ inſequuta, nec præſtolari Gallorum impetum auſæ, idem & ipſæ præſtiterint; Genuâ vnâ exceptâ, quam expugnari per vim oportuit, & flammis victricibus concremari*; Et concludit poſtremò, vt *Ruſsilionis Comitatus* IACOBO *Regi ad* 14. *Auguſti diẽ reſtitutus fuerit ac remiſſus*; PHILIPPO-ne, Meſplede, vidẽte, volente, faciente; ſi tanquam ſuum labore tanto repetiturus acceſſerat? Nihil expreſſius denique in geſtis ipſis PHILIPPI, quæ Nangiaci nomine inſcribuntur; ſi eum obtrudere

In Philippo.

Cap. 30.

trudere

trudere rurſus audeo, cuius vel ipſum nomen tam ingratã tibi recordationẽ ſuggerat; vel *vinum acerbius* ingerẽtis; vel tã indignas te arbitro *nugas in tanto otio* congerentis: Nihil, inquam, illic expreſſius, vbi non eadem dumtaxat, quæ ſuperiùs in Rigordo; qualitercunque ſic ſcribere illos contigerit; ſed alia rurſus plura vrgentur, quæ iam dicta confirmant. Quippe illa deinceps proſequens, *Viſum eſt*, inquit, *quòd versùs vrbem Ianuam dirigerent greſſus ſuos: Erat enim in terrâ Roſſilienis ſita ſub Dominio Regis Maioricarum; ſed ipſum à longo tempore contemnentes ciues PETRO de Aragonio adhærebant*: Quin & iterum poſtea illam ipſam Gerondæ obſidionem exequendam aggreſſus, cuius exemplum vrget Anteceſſor, vt ſua illic iura repetiiſſe PHILIPPVS videatur; ciues ipſos & accolas eius vrbis hæc PHILIPPO exhibet inclamantes; *Dentur nobis induciæ, ſiue Treugæ, quouſque Domino Regi noſtro* PETRO *de Aragonia ſignificare poſſimus, vtrum nobis ſuum præſtabit auxilium & ſuccurſum. Quòd ſi fecerit, ſciatis, quia ipſum tanquam Dominum noſtrum chariſsimum ſuſtinemus* &c. *Sin autem nobis ſuccurrere noluerit, vel non poſsit, vrbem ſumus parati reddere, vitâ noſtrâ & rebus omnibus nobis ſaluis, cum octo dierum ſpatio exeundi*: Quid ſubinde tandem? Nempe quòd iſtud ipſum *Rege Franciæ, de Baronum ſuorum conſilio, concedente, ipſi ſtatim* PETRI *Domini ſui Regis interitum cognoſcentes*, &c. *Vrbem, ſicut ſpoponderant, reddiderunt: & de ea cum rebus ſuis pacificè receſſerunt.*

Veſtigia-ne hîc vlla iuris, quod velut à ſuis aut Vaſſallis, aut ſubditis hæreditariâ maiorum tranſmiſſione repeteret in Gerondâ PHILIPPVS? Quid non potiùs in ipsâ cum ciuibus agendi ratione; in eorum reclamationibus audiendis; in admittendis cònditionibus; in iiſdem, poſt vrbis deditionem, exequutioni demandandis; in circumſtantiis omnibus; quo non illos habuiſſe intelligatur tanquam exteros; non tanquam Dominio ſuo ab antiquo ſubiectos; iam ſuos tamen, quia tam legitimâ ſibi & tam ſanctâ conceſſione, in vicem filij, condonatos? Et hoc Meſpledus vrgeat, vt illum velut iura maiorum

exhibeat repetentem; qui ea ipſa quæ prætexit, partim IACOBO ſarta vellet; partim ſibi propter conceſſionem illam recens factam velut à PETRI ſubditis vendicaret? Nec aliter putet excuſari PHILIPPVM poſſe, ſi tranſactio facta eſſet? Quàm accuratus propugnator & fidus!

CAPVT DVODECIMVM.

Quantâ mentis aberratione vel incuriâ illud ipſum pro negandi tranſactione inculcet, quod firmiſſimum pro aſtruendâ illâ videri debeat argumentum.

VIDEAT interim, quale iam inde argumentum aucupetur, vt S. LVDOVICI cum IACOBO tranſactionem factam neget; quod adhibere planè inter non poſtrema debuerat, ſi ſuſcepiſſet adſtruendam; Cum cœcis, credo, ſe agere confidens; aut illud ſibi deſpondens, αὐτὸς ἔφα, ne quiſquam rem iſtam vt geſta eſt noſſet; aut narrationem illius poſt tanti Magiſtri teſtimonium retexendam putaret.

Ecce, inueſtituram Dominij ad Regnum Aragonum pertinentis CAROLO Valeſio, PHILIPPPI filio, à MARTINO Pontifice conceſſam Galli ſcribunt; Quin & expreſſiùs omnium TILLETVS *Barcinonenſem ipſum Comitatum* eâ inueſtiturâ comprehenſum explicat; Scribunt inueſtituram illam Comitiis Regni publicis maturiori deliberatione verſatam; deque illâ diſceptatum, admittine deberet an reijci; ac demum communibus Optimatum ſuffragiis acceptatam; Scribunt pro illâ facto ipſo vendicandâ decretum ex toto Regno bellum & à PHILIPPO ſuſceptum; ac versùs Catalaniam & finitimas eius partes eo fine directum; Scribunt, vt ad ſacrum bellum, rubeâ cruce inſignitos PHILIPPI ſubditos commeaſſe; ac proinde Legatum Pontificium ſui Commea-

tûs impulſorem, ſocium, & Anteceſſorem habuiſſe; Scribunt eum in PETRI Aragonij Defenſores velut Eccleſiæ perduelles execratione publicâ vſum, cùm dedere ſe Chriſtianiſſimo Regi pertinaciùs detrectarent; Indeque Gallos ad premendam acriùs obſidionem, & generoſiùs ineundum inſultum excitatos; quòd aduersùs Eccleſiæ hoſtes diris deuotos pugnam ſibi eſſe ſentirent committendam; Quin & addunt, hoc ipſum vnum à ſupremis Ducibus eos ad pugnam adhortantibus inculcatum, vt omnium animos eò vehementiùs ad ſtrenuum certamen excitarent; Scribunt, captas in Comitatu Ruſſilionis vrbes cum ipſo ſimul Comitatu IACOBO redditas; & à Gallis ipſis expugnatoribus, vt quæ in ditione IACOBI eſſent, reſtitutas; nec retentas PHILIPPO, qui eas tanto ſuorum & ſuo vel ſudore vel ſanguine pro belli ſocio comparaſſet; Scribunt iis illum pactis cum Gerondâ egiſſe, quæ vix in vllos antiquo maiorum iure ſubditos Princeps admitteret; Scribunt iis verbis de PETRO ipſo Aragonio actum, quæ verum illum Catalaniæ Principem tunc fuiſſe ſignificent ex hærede, propter partitionem antedictam, quæ illi nuper ex nutu IACOBI Patris obtigerat; Scribunt in eo Dominio à Gallis inuadendo, & è PETRI manibus per vim legitimam extorquendo, cauſam Eccleſiæ ſpectatam, cuius ipſi Defenſores eſſe vellent ac vindices; Atque id in filij PHILIPPI IV. vindicias, & in Patris PHILIPPI III. commendationem, publica Galliæ cum BONIFACIO Acta inculcant: Nihil in toto iſtius rei progreſſu de antiquis Francorum iuribus ventilatum; Nihil ab eorum Hiſtoriographis annotatum; Nihil à Magnatibus de inueſtiturâ diſceptantibus, & eam ſubinde admittentibus inculcatum; Nihil à Iureconſultis eam probantibus, laudantibus, tanquam Eccleſiæ beneficium agnoſcentibus, vel compenſationem Galliæ ventilantibus, iactitatum; Nihil à Ducibus in ipſo procinctu pugnæ ſuos adhortantibus obtruſum & obiectum oculis ac menti, vt velut pro maiorum iuribus repetendis, fideliùs, fortiúſque pugnarent; Acta in

contrarium omnia, quæ ſolam ad ſummum inueſtituram noſtris tunc iuribus capeſſendis obtendant: Quid ita verò? niſi quia maiorum iura LVDOVICVS tranſactione iam factâ remiſerat, qualiacunque præceſſerint, cùm Yſabellam Aragoniam huic ipſi PHILIPPO filio deſpondendam impetrauit? Et factam tranſactionem hoc ipſo argumento Meſpledus negat: Quàm conſequenter: Aut quid promptius fuerat, quàm iura maiorum obtendere, ne inueſtiturâ opus eſſet; ſi ea tunc etiam integra, nec per tranſactionem iſtam abdicata, ſubinde remanerent?

a Conſil. 191. nu. 33. b Ibid. num. 34. c Ibid. num. 36. d Conſil. 837. num. 23. e In præſumptionibus lib. 3. Præſumpt. 91. nu. 41.

Hîc euoluere Menochium ſuum rurſus debuit, & ab illo moneri, vt *inueſtitura conceſſionem feudi arguat*; [a] *vt id neceſſariò, ſi propriè dicta, importet*; [b] *vt ipſius etiam Dominij vtilis tranſlationem ſecum inferat*; [c] *vt bona eſſe feudalia inueſtitura ſuſcepta ſignificent*; [d] Vt non ipſe dumtaxat, etiam alibi, [e] vnde ſeipſum refert; ſed alij præterea, quos ibidem producit, hoc aduertant. Hinc ſubinde colligeret, ſi PHILIPPI filio, etiam ipſius Comitatûs Barcinonenſis inueſtitura conceſſa eſt, vt conceſſam omnes agnoſcunt; & ipſe inter omnes Regiarum Originum perſcrutator TILLETVS exprimit; Si conceſſio communibus Regni ſuffragiis publicoque conſenſu citra vllam exceptionem acceptata, vt acceptatam narrant omnes; Et eâ cauſâ in Catalaniam PHILIPPVS irrupit, quaſi conceſſam inuaſurus; ac ſuo ipſius filio, cui conceſſa fuerat, aſſerturus; vt irrupiſſe omnes notant; Si Aragonium ſibi Regnum de quo diſceptatum ante non fuerat, pari iure deſpondit; Supereſſe, vt antiqua hîc iura non ſpectaret; vt nouum Regno feudum intelligeret comparatum; vt nouum Dominium conſignatum vrgeret, cuius integrum alioqui ius, velut per S. LVDOVICI tranſactionem abdicatum, Aragonij vendicarent.

Hoc, Meſplede, colligeres; nec tantæ, quà per te licet, aleæ committeres Galliam, vt niſi mendacio tam aperto tueri ſua iura non poſſit; vt niſi tecum neget quæ tam plana; improbet, quæ tam recepta; Scriptoribus affingat,

fingat, quæ nec ab illis cogitata; impingat, quæ tam illis aduerſa; refigat ex eorum Commentariis, quæ tam illic expreſſa; ſuas ipſius & hoſtium tabulas flammis abſumat, quæ tam peruia ſcrutantibus continent, innocentem ſe probare non habeat; vt niſi vmbris tam facilè velut aperto Sole diſſipandis nullam ſibi gloriæ lucem reliquam videat, quam iniuſta vſurpatio non obſcuret; vt veris iuribus abdicatis, quæ nec exteri ſatis eludant, fictitia tantùm ſibi & fallacia vendicet; quæ vel Galli reſpuant; quæ deſpuant hoſtes; quæ ſublato cachinno rideant; quæ vel ſupercilio dedignentur; quæ noſtratium teſtimonio, præter proprias tabulas, manifeſtè reijciant ac reuincant.

Optandum id quidem Gallis, vt proferri à te veriùs potuiſſent, quæ tam vndique falſa oſtentas; quò Cataloniam Gallia æquè iam olim ſuam non intercepto rerum ſtatu, nec pacto vllo abdicatam, arbitrâ ſimul & iudice Themide; ac nunc iuſtiſſimo Marte vindice legitimè ſibi partam, nec repugnantem, addiceret. Sed *Lunæ radijs non matureſcit botrus;* Nec tuæ illæ *vmbræ*, quas veluti nocturnam in tenebris facem, ac *tenuem quidem & malignam lucem, ſed lucem tamen*, præferre videri vis, id efficere omnes poſſint, vt vel vnum illi acinum, ne Nangiaci quidem tam acerbi vini, accreſcat; Aut vt vnius vnguiculi lati-fundium tuis ratiocinijs comparetur: Quando id agis potiùs, vt nec iuſtè comparari, nec legitimè vendicari potuerit, quod eſt hactenus comparatum. Quibus dogmatibus, nunc expendam. In Monit. ad Lect.

SECTIO QVARTA;

QVASI CÆTERARVM APPENDIX.

EPITOME RATIONVM QVÆ PRÆTER illius mentem, nec citra cenſuram, ab alijs allatæ ſunt, vel aff rendæ videri poſſunt: ſiue ſpeciatim ad Catalaniam vendicandam; ſiue generatim ad belli totius iuſtitiam, cui cauſa iſta coniuncta eſt, vindicandam.

CAPVT PRIMVM.

Quàm fœliciùs alij veriſimilia ſaltem, & in ſpeciem valde legitima Catalaniæ iam antea pridem Regno, etiam poſt S. LVDOVICVM, vendicandæ momenta produxerint; quos infœliciter præ ſeipſo id conatos obtendit.

ALIORVM potiùs hæc præſertim opera videri poſſit, quos hîc vellicat Anteceſſor, infœlici conatu Catalaniam vendicantes, vt ſe ſimul ab illius contumeliis, & Galliam à præpoſteris illationibus vindicent, quas ex eorum vindiciis eruere ſe confidit; Niſi retudiſſe fortaſſis tam obtuſa dedignentur, quæ ſeipſis hebeſcunt: Non mei penſi hoc eſſe debeat; cui vel ſatis fuerit oſtendiſſe, quod hactenus opinor præſtiti; vt pluſquam infœliciter id fit auſus aggredi exequendùm, quo vno tamen excogitatò à ſe primùm totam in iſtâ causâ putat Galliæ fœlicitatem contineri; Nec deſpondere mihi hoc munus auſim, conſultioribus geniis reſeruandum; vt quamlibet verè vindicandam cauſam aggrediar, ſuo ipſius momento ſatis tutam; quæ tam falſis illi commentis & inanibus vmbris non vindicanda

ſuſcepta eſt, ſed ludenda. Non deero tamen huic parti, ne oppugnaſſe illum videar, non iura Galliæ defendiſſe; Quantum defendi tam imbelli manu licet, quæ iam alij non ſemel rerum iſtarum peritiores efficaciùs defenderunt; Aut eas à me rationes hîc afferri neceſſe eſt, quæ ſiue generatim ad æquitatem belli vindicandam ex communi iure; ſiue ſpeciatim ad Catalaniam vendicandam ex peculiari momento peti poſſint; atque ab ipſis rerum arbitris ex Regio afflatu propalatæ ſint, cùm vtrumque oportuit ad prauam vndique ſuſpicionem amoliendam explicari.

Et quidem ſi vel illud hîc primum exequar, quod ad allatas nuper ab aliis vendicandæ iam olim ante hoc tempus Catalaniæ rationes attinet; Quis non ſubinde intelligat, quàm impotenter ab illo, etſi ſpecioſæ ſaltem ac veriſimiles, explodantur; vt figmento locum faciat, ſolâ falſitatis apertiſſimæ fiduciâ ſe tuenti? Quis hæc tam incautè prolata ferat, eos qui tranſactione admiſſâ Catalaniam nihilominùs vendicare Galliæ ſategerunt, *infœliciter* id fuiſſe *conatos*; vt qui ſcilicet *integra iura Regis Hiſpani ſeruarint, quia nec noſtra defenderunt, vt par erat?* Quis ferat ita eos dici *non ſubuertiſſe aliena*, vt *certa* potiùs *maneant*; ſi *vera ſunt quæ in cauſæ huius defenſionem attulerunt?* Quis *illos* ferat, *ſi cauſa illa ita ſe habet, vt hactenus expoſita legitur*, veluti *aduerſantes nobis patronos* accuſari; Atque illud quidem addi, quòd *ſatius fuiſſet omittere prævalida & adulta hoſtium iura; quàm hoc aſſequi, vt palàm fieret, quibus iuribus impares eſſemus?* Quaſi non aliud oporteat quàm negare quod planum eſt, vt ſua quis iura defendat; Quaſi eruere hoſtibus oculos habeamus, ne verum id eſſe videant, quod negetur; Quaſi nemo par illi defenſor iurium eſſe poſſit, quia inficiari tam fidenter tam aperta non auſit; Quaſi *iuribus impares* eo ipſo videri *poſſimus*, quod non ad neganda, quæ conſtant, tam præfractè mentimur; Quaſi *adulta, prævalida, integra, & inconcuſſa hoſtium iura* remanere neceſſe ſit, niſi diſſimulari veriſſima debeant ac falſiſſima ſimulari; & prodere ipſi

In Epiſt. nuncupat.

diſſimulata, vel explodere ſimulata non poſſint, nec aliud nobis conſtet, quo & illa cautiùs abdicemus, aut præſumpta cauſemur, & noſtra candidiùs vendicemus, aut vendicata ſecuriùs tueamur?

Quàm illud ſaltem auſpicatius, quod à me hactenus tam copiosè teſtatum eſt, & hoc loco Caſſanus inter alia quædam nuper vrgebat? Inueſtituram Comitatûs Barcinonenſis cum reliquo ſimul Dominio ad Petrum Aragonium pertinente, fuiſſe Carolo Valeſio Philippi filio condonatam: quæ ius priſtinum, quantumuis per auitam S. LVDOVICI tranſactionem abdicatũ poſtliminio tandem reſtitutis in integrũ rebus, nouæ titulo poſſeſſionis aſſereret! Nec illegitimam inueſtituram videri poſſe, quam allatæ iam antea rationes vindicent; quam iura protegãt; quam orbis, quà latè patet, agnouerit & probauerit Chriſtianus; Nec videri ex aduerſo legitimam ſatis, quæ Caroli nomine ſubinde facta prætexi poteſt, inueſtituræ ceſſionem; quòd non ab illo ſcilicet ſponte facta; quòd à Carolo propatruo (Claudo dicto) inter hoſtes captiuo per vim extorta, & ipſius Valeſij præſumptitio tantùm nomine conſenſuque deſponſa; quòd à NICOLAO IV. Pontifice maximo MARTINI IV. ſucceſſore ſubſcribere rogato, rejecta; quòd contra peculiares legum Gallicarum ſanctiones vſurpatitia putari poſſit; quòd ipſo communi jure derogante nulla credi; ſeu ſtatutis & Reſcriptis publicis infirmari, quæ *Rem inter alios actam, tertio nocere non poſſe*, tam frequenter & aperte decernunt. Atque hoc vel Menochius ipſe tuus, Meſplede, momentum confirmaret; cùm aduertit, *Ceſſionem factã non ſeruatâ ſtatuti formâ, nec adhibitâ ſolennitate, quamuis juramentum interceſſerit, in præiudicium tertij non valere*; Confirmarent, non ipſi Iuris interpretes tantùm, ſed vniuerſi quoque Moralium rerum Theologici tractatores; cùm admonent, *Inuoluntarias commutationes pro non factis haberi*; nec modò per vim extortas manifeſtè, ſed occultè per fraudem aucupatas. Confirmaret ratio ipſa & ſenſus; dũ ſuggerit, *ſpoliari neminem ſuo jure inuitum poſſe, quod ſit in*

Conſil. 789.

pote-

poteſtate illius & arbitrio conſtitutum; vt & ſuis Pythagoræi adumbratum Symbolis voluerunt, cùm nullam, niſi paulùm inflexo capite velut annuentem, immolari victimam cenſuerunt oportere. S.Th. 2.2. q.61. art. 3. in corp.

Quàm & illud auſpicatius! ad hanc ipſam inueſtituram qualemcumque creditam, poſteriùs acceſſiſse, vt Aragonicum Regnum, adeóque Dominium aliud quodlibet illi annexum, & Barcinonenſis præſertim Comitatus ad illud pertinens, Ioannæ tandem Aragoniæ Ioannis primi Regis Aragonum filiæ, quam ſibi Comes Fuxenſis vxorem deſponderat, velut hæredi legitimæ, per maſculæ prolis extinctionem obtigerit; iuxta patrium vſum ac leges, quibus à capeſsendo regno ratum eſt filias non excludi! Eandemque ob cauſam, Yolanti etiam ſiue Yolandæ minori natu filiæ, quæ LVDOVICO Neapolis & Siciliæ Regi vxor fuit, ſorore iam extinctâ obtigiſſe debuerit; ſubindeque ad Reges noſtros, vt Maritorum hæredes, & ex prolis defectu ſucceſſores, jura illa debuerint tranſmeare!

Non expendo, an hæc ita videri firma debeant, vt è Gallis etiam nemo non probet; Non expendo an ceſſio Caroli ſatis rata putari poſſit, quam Tilletus non explodat; imò quam admittere videatur; quam bono publico poſtulante factam pro conciliandâ pace ſignificet, & Caroli demum conſenſu ac beneplacito, vt & alij expreſſiùs aſſerunt, inſinuet comprobatam: Non expendo, an ijs conditionibus Yolanta Siciliæ Regi, & Ioanna Fuxenſi Comiti nupſerint, quæ ſpem Regni & hæreditatem excluderent; Aut id ſaltem Regni commodis nimis aduerſum videri poſſet, ac velut fundamentali Regnorum omnium lege interdictum, vt à fœminis abſque prole defunctis ad exteros Maritorum hæredes, hæreditaria Dominij Regij iura deuoluta cenſeri, ac reipsâ peruenire deberent; Iure-Conſulti hoc viderint, quibus iſta diſceptatio exploratior; & rerum arbitri iudicent, quibus definitio certior; Sed an hoc ſaltem non ratum ſit, quàm fœliciùs putatitio vindice, illi ipſi, quorum conatum (im-

fœlicem ſibi viſum) deſpuit, Catalaniam Galliæ iam ab antiquo addixerint, & poſt LVDOVICVM ipſum Sanctum vendicarint? Quando nec falſum aliquid *in facto* vel fictitium obtruſerunt; Et ea ſaltem produxerunt, quæ *in iure* diſceptari legibus poſſint: Dum nihil iſte niſi quod fictum ſit, niſi quod ementitum & fallax, niſi quod publicæ profeſſioni cõtradicens, obtrudit. Omitto an & ſatis alia videri poſſint, quæ prædictis adducuntur, tuta & plana, vt firmiora inde iura conſtent: An ſatis fuerit Alphonſum Aragonem *cognomento Bellicoſum* Teſtamento cauiſſe, vt ſuum ipſius Dominium poſtquam è viuis exceſſiſſet, ad Milites Templarios deuolutum cenſeretur: & an ſubinde ab illis ad PHILIPPVM IV. cognomento *Pulchrum* Franciæ Regem eo ipſo deriuatum ſit, poſtquam ijs per Pontificiam ſanctionem extinctis, vendicata priùs ab ijſdem bona in ipſius PHILIPPI ditionem & fiſcum, per eandem ſanctionem Pontificiam, in Concilij Viennenſis monumentis deſcriptam, peruenerunt; aut an Alphonſi Teſtamento, quaſi legibus Regni aduerſo, proindeque fiſco PHILIPPI, hac in parte contradici iure poſſit. Omitto an & aliâ quam nonnulli vrgent occaſione, ſimul cum Peſſulano-monte priùs ab Aragonibus ex maternis titulis occupato, ditiones illæ rurſus ad noſtram, velut quadam coëmptione ſic peruenerint, vt è proprio Galliæ fundo dici poſſint. Omitto, an & inita quidem vt conſtat, ſed irrita, vt non nemo contendit, videri habeat S. LVDOVICI tranſactio, nec tam firma, vt poſteros deinde Reges aut Regnum tunc vniuerſum obſtringeret: quam ſcilicet ſuo ipſius arbitratu peregerit, quam nullum Senatus placitum ſolenni verificatione, vt loquuntur, ſeu quadam ratihabitione firmauerit, aut publicus Regni conſenſus iuxta receptos illius vſus & conſuetudines comprobarit, quam ſtudio pacis & concordiæ, quod ad perſonam quidem attinet mirabiliter Chriſtiano, ſed quod ad Regem tamen ſpectat immodico & vltra politicam æquitatem excurrente conceperit: quâ non conſcius licet, Sacramenti tamen à Regi-

bus in coronatione ipſâ ſuâ præſtiti metas excesſerit, quo alienatum iri à ſe nunquam Regni Jura deſpondēt: quam denique his omnibus non ſpectatis, quæ nec obeſſe crederet, amici ab illo Regis intuitus, & filij matrimonium, & contentionum fuga, & priuata quædam non *ſtoliditas*, Meſplede, ſed pietas tenerior ſanctæ mentis excuſſerit: Aut an ratam eſſe nullæ leges impediant, quæ abdicari jura non prohibent, niſi & certiſſimè citra omnem controuerſiam vendicata, & reapſe poſſeſſa, vel Regijs feudis impacta, & vt loquuntur, incorporata, citra vllam compenſationem, vel etiam tranquillitatis publicæ neceſſitatem abdicentur; Et an rata ſatis haberi debeat, quæ agitata tandiu, quæ per Legatos diſceptata, quæ ſolenni dirempta matrimonio, & ſpectante toto Regno celebratis nuptijs perfecta, refragantes tunc nullos habuerit; imò habuerit ſubinde omnes, qui acceptandæ poſtea inueſtituræ Comitijs publicis conſenſerunt, interpretatitio ſaltem aſſenſu, ſuffragantes. Num iſta fœliciùs tamē ad Catalaniam iam hæc ante tempora vendicandam vrgeri poſſint, quæ diſceptari tam probabiliter ſaltem poſſe Iureconſulti autumant, quàm vt factum negetur, quod è noſtris nemo non conſentiat, & ex hoſtibus nemo non apertè conuincat, productis in lucem tabulis, eſſe factum?

Sed enim nec eo jure quod in Catalaniam vendicari iam ante potuerit, ipſa illius vendicatæ nunc tandem cauſa conſtat; Ratum videri poſſit licet, quod hoc ipſo nupero tempore, ſed ante cauſam nondum inceptam CATELLVS conſignauit, *Non eſſe iam antiquus in illam iuribus reuoluendis locum, vt quæ per* S. LVDOVICI *cùm* IACOBO *tranſactionem extincta nunc etiam ac ſopita remaneant*; Habet nihilominus Gallia, quo ſibi eam tutiùs quàm figmento vendicet occupatam; quo ſe iuſtiùs vindicet occupantem. Lib. 1. hiſt. Toloſ.

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM.

Quàm exoticâ & alienâ hypotheſi conſenſum Catalanorum; velut inſufficientem obtendat, vt ſubinde Catalaniam non ſatis Galliæ vendicatam contendere auſit; niſi tranſactio pernegetur; Et quàm ſeipſum rurſus hîc implicet.

VT videri porrò debeat non habere, primum hoc præpoſtero vindici momentum eſt, quia *non ſatis apud eum valet ipſorum populorum conſpiratio, ſi ſola foret; Et eſto valeat*, inquit, *indecorum* nihilominus LVDOVICI *noſtri magnitudini* putat, *vt beneficium acceperit*; cùm recepit Catalaniam vendicandam; *non contulerit* potiùs; cùm ſuſcepit vindicandã; Quin & hoc ipſum *Iuſtitiæ* ſimul *indecorum, eiuſque ſapientiâ atque Religione indignum* eſſe pronuntiat; quò *teterrimi exempli author foret*, ſi eam, non vt iam anteà ſuam, & vendicandam ſibi, & ab hoſtibus vindicandam ſuſcepiſſet; hoc vergere in illius diſpendium vult, quò *præiuditium in Majeſtatem tuliſſet, quam defendit*; hoc redundare *in crimen aliquod æterna ignominiæ notâ inurendum, quo ſe dedentes in clientelam ſuam recepit*; Et non illi tantùm, ſed Galliæ ſimul toti cum Catalaniâ ipsâ *commune* contendit illud crimẽ, cui *ſceleri datur*, inquit, *quòd Caſtellæ iugũ excuſſerit*; Adeò vt, *non ſit Gallia innocens, quæ illammet in clientelam ſuam recepit*, quod hîc etiam vrget; *neque iuſtus* LVDOVICVS, *cuius conſiliis atque armis ſtetit aduersùs ſui hoſtis inſidias, apertamque vim*; quod & addit; Vt nec ipſa defendi Catalania poteſt, quin *violatæ fidei rea*, quia *iugum excuſſit*; ſiue *illæ gentes quæ ſe imperio Caſtellani Regis ſubduxerunt, & quaſi* poſtliminiò legitimo Domino reddiderunt, quin tam fœdo *ſe crimine* obſtrinxerint, excuſari; ſi

factâ licet S. LVDOVICI tranſactione, quæ Aragonum illas Regno addiceret, nunc tamen vt ſe Galliæ dederent, conſpirarunt. Nempe hoc ex tam auſpicato tuo *noua artis* inuento relinquitur, Meſplede, vt non aliud Catalani quàm coniuratores in Regem ſuum & rebelles; non aliud LVDOVICVS Iuſtus, quàm coniuratorum conſcius & particeps; Non aliud Gallia, quàm coniurationis vindex & ſocia dici poſſit, ſi S. olim tranſegit LVDOVICVS, vt reipſâ tranſegit.

O dignas Catalanorum præmio! dignas Galliæ plauſu ac fauore vindicias! Et quidem quàm ſibi ipſis repugnantes! Vt *etſi ſola populorum conſpiratio valeat* ad vindicandos Catalanos, non ſufficiat ad vindicandum LVDOVICVM; potuerintque ipſi licet legitimè conſpirare vt ſe dederēt; nec validè tamen ſe dedentes admittere, niſi contra iuſtitiam, contra Religionem, contra ſapientiam, potuerit LVDOVICVS! Vt veluti *ſe dedentes in clientelam recepti* à LVDOVICO, Galliâque dicantur; & *redditi* tamen quaſi *vernaculi*, ac velut *legitimo Domino* reſtituti! Vt velut *excutientes iugum, ſeſe imperio Regis Caſtellani ſubduxerint*; Et hoc ipsū ſit *ſeſe legitimo Domino reddidiſſe*, cùm ſe S. LVDOVICO & Galliæ dediderunt! Vt *beneficium Rex acceperit*, ſi *conſpirantes in clientelam recepit: non contulerit*, ſi protexit; Et hoc ipſum beneficii loco eſſe debeat, ſi nec iuſtè, nec ſapienter, nec religiosè, quà per te licet, aut vendicauit nunc ſuos, aut alienos antea vindicauit! Vt hoc ipſo rei ſint, quòd LVDOVICO ſe dediderunt, niſi & illum iam antea veteri iure *legitimum Dominum* habuerint; Nec vlli tamen obnoxii crimini hoc ipſo ſint, ſed innoxii, quòd ſe non iam dedere, ſed reddere tandiu diſtulerunt! Non intelligis, Meſplede, quàm longùm reos facias, vt tam ſerò facias innocentes, qui ſe poſtliminio tantùm poſt ſæcula ipſa tota reddiderint! Niſi pœnitētes potiùs tam diuturni criminis, quo ſe obſtringere non dubitarint tot illos annos, quibus alienos à Regum noſtrorum Dominio notum eſt perſtitiſſe? Putas nō potuiſſe toties antea, ſi oporteret,

Qq

quod nuper tandem potuerunt? Putas non potuerint, cùm Aragonicum Regnum nondum Hiſpanienſi coniunctum tantas adhuc ſeipſo vires non haberet, quæ, Gallis præſertim vindicibus, eorum conatui coërcendo ſufficerent? Putas non ſaltem potuerint ſub PHILIPPO illo tertio noſtro, cùm tam opportunam id agendi occaſionem tantæ PHILIPPI vires, tanta imbecillitas PETRI ſacris etiam interdicti & illo ipſo bello interempti, tantum illius cum IACOBO fratre diſſidium, reluctantibus interim tamen, miniſtrauit? Putas non ex quo etiam Hiſpanorum Imperium experiri cœperant, opportuna tot illis momenta ſuccurrerint excutiendæ ſeruitutis, quæ tandiu captiuos, vt cauſaris, oppreſſerit; vt & Gallis fauentibus id præſtarent? Neſcierint fortaſſis quid in eos haberet iuris Gallia, vt ſe redditos illi vellent; & tam ignari rerum ſuarum eſſe debuerint, vt innoxii eſſe poſſent! Aut nec ipſa ſciuerit Gallia, vt officij eos admoneret; & innoxij iam nõ eſſent, ſi alieno ſe opprimi iugo conſcij, legitimum Imperium recuſarent, non poſtularent, non ſubire, quibus omnibus modis poſſent, conarentur! Imò nec innoxij tunc fuerint, ſi per te licet, cùm innoxios maximè vis videri; quia nondum illis patrocinium tuum tam auſpicatum affulſerat, quo *ſcelus iniuſtum ſibi* amoliri haberent; quando ſe deditos Galliæ voluerunt; Nondum ſe in lucem tuum illud *nouæ artis* inuentum *in gratiam antiquiſsimæ veritatis* extulerat, quo *violatæ fidei maculam eluere* ſolo poſſent; nondum intellexerant fictitiam videri tranſactionem oportere, quam accuſare falſam, & cauſari nunquam factam primus audes!

Quid iſtud rei eſt, Meſplede? Cur tam ſeram illis & perbreuem innocentiam, quam niſi a te mutuari non habeant, tam prolixo crimine comparas? Cur defendere ſic illos aues, vt nec inſontes nunc eſſe poſſint, niſi tanto temporis tractu rei fuerint, & vel ſcelere tantùm Galliam agnouiſſe Rectricem inceperint; cùm nondum te patronum tam de ſe bene meritum nacti eſſent, quo ſe tam nouæ defenſionis authore tuerentur; nondum illis con-

ſultor contigiſſes, cui tam ſubtilia monenti auſcultarent; mondum occurriſſes anteceſſor, quem tam opportunè ſequerentur præeuntē! Cur talem te illis patronū exhibes, vt ne *clientes* quidem haberi patiaris à Galliâ, cui tamen *in clientelam* deditos profiteris; & velut ab antiquo iam ſubditos excipi potiùs vrgeas; mirum cur non & multari velis, velut poſt liminio tantùm tam ſerò deditos? Cur iis momentis cauſam illorum non firmare dicam, ſed infirmare contendis, quibus nec ipſi velint? Qui ſic beneficium agnoſcunt, quo ſuſcepit Gallia protegendos; vt nec officioſi videri nolint, quòd ſe Galliæ ſubmiſerint occupandos, regendóſque permiſerint? Cur & Galliæ ſenſum affingis, quem opinor non agnoſcat, vt ſe nihil ab iis accepiſſe omnino, ſed ſua potiùs recepiſſe videri velit, quæ generoſior & candidior, nec ſe deuinctam ab illis diffiteri habeat, vt ſe vindicandos dederent; cùm deuinxit vt ſuſciperet vendicandos? Cur id agis, vt agnoſcat redditos quaſi iure, quos vt vltro deditos, credo, admiſit, amplexa eſt, gratulabunda excepit?

Quæ rationes illis & cauſæ fuerint, cur ſe Galliæ dederent, cur Caſtellæ ſubducerent; explicarūt ipſi, propalarunt, in Chriſtianiſſimi orbis oculis ediderunt; nec vel tuam cogitarunt, quâ vnâ putas à violatâ fide tutos. Vltra metas excurram, ſi attingēdas aggrediar: Iniurius in illos videar, ſi quid addam; Plus æquo mihi vſurpem, ſi me vindicee iudicem indigere, qui ſeipſos tam prolixè iampridem vindicarunt. Certè conſpirationem ipſi non agnoſcant, quâ ſe ſubduxerint, quantumcunque tranſactionem agnoſcant, quâ ſubditi fuerint: Non ignorant quæ officia ſubditorum in Reges, vt nihil minùs quàm in illos conſpirent; quod ad excutienda Dominorum imperia ſufficere nemo velit, nemo probet, nemo non putet, citra vllam hypotheſim, quam tu interim non excludis, explodendum: Norunt quæ iura Regum in ſubditos, vt conuellere illa non debeant, vt non audeant violare, vt prætergredi conſcientiâ permittente non poſſint: Sed & quâ lege ſe ſentiant Caſtellæ ſubditos, norunt; quibus adlecti priuilegiis vt ſe ſubderent; quibus aſcripti condi-

tionibus, vt in illius obſequio permanerent. An violatum hîc viciſſim quidpiam, non inquiro; quia nec id exequi meum; An infracta priuilegia, quæ nemo libenter ferat, ſi legitima, violari; An conditiones neglectæ, quibus excuſſis liberum ſe quiſque putet vt non faciat quod conditione conuentum eſt; An libertas, quæ *citò indignatur*
S.Hieron. Epiſt.62. adTheop. *dum opprimitur*, ait ille, non illæſa ſeruata, quæ pacto condictoque ſeruanda; vel quidquam eiuſmodi contra hæc omnia præſtitum, quo *de gente in gentem Regnũ transferri* ſacra ipſa oracula & diuina pronuntiant. Nolim te-
Eccleſ.10. v. 8. merè pronũtiare de Regibus; nolim *vnctis Domini* hunc fœtorem aſpergere; Nolim conuitiari Principem, quamuis hoſtem; Hoc aio, non facturos, quantum arbitror, Catalanos, quicquid illud eſt, quod fecerunt; niſi ſe læſos putarent eâ parte, quâ minimè lædi ex pacto debuerunt; niſi ſui iuris arbitrarentur, vt ſubducere ſe hac lege Caſtellano imperio liberè poſſent; niſi non repugnare conſcientiam ſentirent, quin ſe opportuniori Dominio permitterent vendicandos. Nec metuere habuit LVDOVICVS ne *præiudicium in Maieſtatem ferret, quam defendit*, dum ſubductos alteri, & ſuæ ſe dedentes excepit; Non ſic egit cum ſuis, vt opportunius aliud vltro Dominium putarent aucupandum; aut eaſdem ſubducendi ſe cauſas obtendere iure poſſent, quas Catalani, vt id feciſſe innoxiè credi debuerint, obtenderunt.

Quid ſi perperã tamen fecerint, vtcunque vel hoc dici liceret? An & continuò perperam LVDOVICVS? Æquè alterutrum, ſi per Anteceſſorem licet, quia communem eſſe cauſam vult & coniunctam; Nego ſic alterum ex altero cõſequi, vt etſi ſontes eſſe oporteat Catalanos, quod nec velim, quando ſe dediderunt, non poſſit eſſe LVDOVICVS inſons, quando recepit ex hoſte venientes, hoſti ſubductos, hoſtis imperium, vt ſuum quærerẽt, fugientes. An admittere non potuit innocenter vltrò deditos; qui iure belli iam in hoſtem Principẽ buccinati adoriri legitimè potuit, nõ demerito vllo ſuo, ſed vt hoſti ſubduceret, expugnãdos? Atque hoc ipſum ſeorſim reſtat, quia explodit Anteceſſor, ventilandum.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Quàm temerè pronuntiet, non ſatis iuris fuiſſe in armis LVDOVICI Iuſti, vt Catalaniam vendicaret; ſi S. LVDOVICI tranſactio facta ſit, & hoc ipſo iniuſtè decreta ſignificet arma illa.

DEBVISSET ſaltem non tam præceps explodere, quod adplauſiſſe Principi, quod Magnatibus placuiſſe, quod arriſiſſe conſultoribus Regni, quod non paſſim à ſubditis vellicari pro vniuſcuiuſque arbitratu poſſe aduertiſſet: Debuiſſet cauere, ne *forti ac fœlici forſan Principe*, vt loquitur, *ſed non iuſto dignum* aſſereret, quod iuſtiſſimum illi cum ſuorum conſilio viſum eſſet: ne *ſapientia illius & religione indignum*, quod ſanxiſſet: ne *magnitudini ac iuſtitiæ indecorum*, quod probaſſet, nec S. LVDOVICI tranſactione cum IACOBO initâ pijſſimus alter LVDOVICVS putaſſet improbatum. Exiſtimare potius debuiſſet id à ſe ſapientiæ Principis nullo non iure deberi, ne inconſultò decretum; æquitati, ne iniuſtè ſuſceptum; Religioni, ne parum piè conceptum; pietati, ne vſurpandi alieni iuris animo cogitatum ab eo bellum auderet arbitrari; quamuis figmentũ, fabricatori nouo nondum è cerebro excuſſum, ne per vmbram quidẽ & ſomniũ, Rex fallere neſcius cogitaſſet. Debuiſſet ſibi cõſultiùs attendiſſe, quàm vt impingere ſimul in Cõſiſtorianorum prudentiã tam incautè auderet: eorum integritatem temerare: conſilia eorum pro decernendo bello conſtituta conuellere: deliberationis iniuſtæ poſtulare conſilentes, aut iniqui arbitrij comprobantes accerſere: quia nouum illud Commentum quod exeogitaſse nunc eandem primus videri vult, nec obiectum oculis vllatenus habuerunt, vt decernerent; nec admittendum putauerunt, vt probarent; nec minùs etiamnum iam decreta exequi pergunt, & probata non improbant: quamuis neſcire In Monit. ad Lect.

non poſſint otioſè fictum, quòd facta tranſactio initaque non fuerit.

Parciùs cum Regibus, Meſplede, quàm vt eorum arcana ſcrutemur; ignota conſilia iudicemus; putemus nota eſſe, quorum retineri apud ſe cauſas & rationes voluerunt; aut vel illas curioſiùs exploremus, quas nec latere voluerunt, ſed palàm publicéque prodire. *Sacramentum Regis* eſt, quod *abſcondere bonum*, cùm ſcitur; penetrare temerarium, cùm neſcitur. Venerari ſatiùs & ſilere quod neſcias, vbi abditum; Quin & ſolis, quibus id officij eſt, excutiendum relinquere, cùm iam propterea editum, quia Princeps indixit. *Vt cum igne, ſic cum Principe*; cuius frui luce plus ſatis, vt eâ iucundiùs oblectemur: ſentire flammam, vt in eius amorem deflagremus; influxum experiri, vt beneficia prædicemus; ambire vel diſpendio noſtro gloriam, vt Regni ſplendori parentemus; non admouere propiùs digitum, ne dum incautiùs attingimus, attigiſſe pigeat, quod perurit; non *ſcrutari* curioſiùs *maieſtatem*, ne opprimi contingat à gloriâ, quę diuinæ quoddam ſpecimen exhibẽs, veneratores poſtulat, non admittit ſcrutatores. Excuſandum te ſcio, quòd incautè; Mallem cautiùs, ne vel excuſari te oporteret. Nihil minùs quàm iniuſtum bellum videri velis, tam procliuis in Regnum, qualem te geſtis haberi; Sed illius æquitatem figmento committere tam ſecurè non debueras, vt iniuſtum eſſe debeat, ſi verum non eſt, quod falſum eſſe planè conſtat; quod à te fictum facilè omnes agnoſcant; quod vel teipſo teſte nondum fuerat cogitatum, cùm de bello actum eſt indicendo.

Ego, quod iam initio monui, ſi vel rationes nullæ ſubeſſent, quas Princeps editas voluiſſet; bellum iuſtum exiſtimarem, quia indixit; Catalaniam legitimè vendicatam, quia vendicauit; Vindicatos non iniuriâ Catalanos, quia vindicandos putauit. Noui ex legum humanarum ſanctionibus, *Pro iuſtitia Principis præſumendum*; Noui è
Exod. 22. diuini iuris Oraculis, nec *detrahendum Dijs*, quos intelli-
v. 28. gant Hebræo vocabulo Iudices; nec *Principi populi maledicendum*, in quo diuinum quiddam elucere ſignificent;

quod aſpernari non liceat, aut liceat non vereri. Noui è Eccleſ.10.
Sapientiæ ſacræ Dogmatibus cautum eſſe, *ne vel in cogi-* v.20.
tatione ſuâ Regi quiſpiam detrahat; *In ſcientia ſua*;[1] *In con-* 1. Hebr.
ſcientia ſua;[2] *In mente ſua*;[3] *In intellectu ſuo*;[4] *Tacitus apud* 2. Sep-
ſe in intimis & abditis cordis;[5] *ne occultiſſimè quidem ſe ſolo* tuag. 3.5.
conſcio;[6] *nec audeat vel ſemel cogitare, quod in Rege vel Prin-* Hieron.
cipe reprehēdat;[7] vt Interpretes cōmentantur. Noui è San- 4. Syrus.
ctorum Patrum effatis; & illo quidem, qui multorum 5. Chald.
loco eſſe vnus poteſt, Auguſtino; *Intereſſe* profectò *qui-* 6. S.Gre-
bus cauſis, quibuſque authoribus homines gerenda bella ſuſci- gorius
piant; *Ordinem tamen illum naturalem, paci mortalium ac-* Thauma-
commodatum hoc poſcere, vt ſuſcipiendi belli authoritas atque turg. 7.
conſilium penes Principem ſit; *exequendi autem iuſſa bellica* Campen-
miniſterium debere milites paci, ſalutique communi; adeò vt ſis.
vir iuſtus rectè poſſit iubente illo bellare, ciuicæ pacis ordinem l.22. cont.
ſeruans; *cùm quod iubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum,* Fauſtum
certum eſt; *vel vtrum ſit, certum non eſt*. Noui à Theologis c.75.
id acceptum, id probatum, id ab Angelico eorum genio
vſurpatum. Quin & ex myſticis notionibus didici elo-
gio iuſtorum inſignitos paſſim Reges, *librum iuſtorum* ap-
pellari, qui *Regum*;[a] *Iuſtos* in Euangelio eoſdem, qui *Re-* a in I.Reg.
ges, indicari;[b] componi *cum iuſto Principem*;[c] quaſi al- b Matth. & Luc.
terum charactere alterius conſignatum; non vt quales c Prou.
reipsâ eſſe dumtaxat habeant, moneantur; ſed quales 17.v.26.
haberi à nobis debeant, nihil praui ſuſpicantibus, docea-
mur. Didici ex prophanis, *nec Regem erga ſubditos alium* Arrianus
eſſe debere quàm veracem; *nec ſubditorum quemquam aliter* l.6.hiſt.
affectum eſſe oportere, quàm vt Regem veracem eſſe credat;
quem nec veracem crederet, niſi iuſtum. Didici ex vtriſ- S. Hie-
que *populorum Paſtores* appellatos; non modò vt *ſuper-* ron. in 38.
bum nomen Imperij, ait quiſpiam vnus, *Paſtoris vocabulo* Ezech.
mitigetur; ac vt Hebræo vocabulo *amatores* æquè ac *Pa-* Epiſt.125.
ſtores iiſdem literis deſignante, vt idem notat, intelli- ad Da-
gant, quem affectum debeant populis, quos à Deo regen- maſ qu.
dos acceperunt; ſed vt intelligant etiam populi quàm 2. ſub fi-
ſe illis conſentientes exhibere, placidéque ſubditos de- nem.
beant, quorum ſe poteſtati permiſſos intuentur. Didici
publicos Gentium & Ciuitatum Parentes nuncupatos; Non

quod ad ipſas belli cauſas attinet, generatim in Hiſpanos indicti, ex quo ſpecialem vendicandæ Catalaniæ cauſam pendere inprimis ac deriuari neceſſe eſt; tam abundè illas in publicis ipſis tabulis, quæ iampridem indictum continent, delineauit Rex & expreſſit, vt non aliud inquirere haberet Anteceſſor, ſi legiſſet; aut niſi Principem ſua ipſius iura putaſſet ſine ſe Conſultore ignoraſſe. Quin etſi non palàm editas, vt edi voluit, ſed explorandas priuatim ſingulis, & coniecturâ dumtaxat aſſequendas reliquiſſet iuſtus Princeps; quàm promptum eſſe Anteceſſori tamen potuit, non Theologo tantùm, ſed verſatis tam laborioſâ manu Iureconſultis tantâ legum notione inſtructo, vt ex iis cauſis omnibus, quas ad belli iuſtitiam aſtruendam Theologi paſſim & Iuris Interpretes exerunt, intelligeret aliquam ſaltem, niſi & plures, occurriſſe tanto Principi, vt hoc indictum hoſtibus bellum vellet?

Iuſtum vtique bellum indici; Vt qui alium ab aſſequendo iure arcet, coërceri poſſit; Vt ſibi debitam ditionem recuperet Princeps, & ob retentam illam quidquid aliud primum occurrit, occupare contendat; Vt illatam ſibi grauem iniuriam aut contumeliam vindicet; Vt illos plectat, qui fœdus initum, ſpretis illius conditionibus, violarunt; Vt ea impetret, quæ iure Gentium permiſſa ſunt, & negata illa vel ab inuitis extorqueat; Vt ſeipſum de alio Principe, qui ſuis hoſtibus iniuſtum auxilium & ſuppetias commodet, vlciſcatur; Vt fœderatis ipſe ac ſociis æquam opem afferat, quam afferri decorum ſit; nec eos ferat alienis armis opprimi, à quibus par viciſſim auxilium præſtoletur & ſibi ſpondeat; ſeu quos habeat ſecum, arctiori rerum ſuarum communione colligatos; Ob illa, inquam, & id genus alia, quæ reuocari huc poſſint, bellum iuſtum indici, Iure-Conſulti definiunt; Theologi probant; Sancti Patres agnoſcunt; Moralium rerum Scriptores admonent; Sacrarum Tractatores notant; literæ ipſæ Sacratiores docent; tam frequentia in iis experimenta iuſtorum & exempla confirmant.

menta fuiſſe diceret Iuſtus Princeps, quibus retaliare in illos iniurias iſtas omnes aperto bello, poſt quæſita incaſſum, & vel Nuntiis Apoſtolicis teſtibus tam peroptata ſibi, iuſtæ pacis ineundæ conſilia, cogeretur. Vidiſſet, vt exprobrato licet vniuerſim Hiſpanis vſurpandarum ab aliis ditionum inſtituto, nihil ſpeciatim de vſurpatâ fraudulenter aut ſubductâ Gallis Catalaniâ diceret; ac falſatas, quibus eam indigniſſimâ omnium & inutili arte vſurparent, tabulas, ne tenuiter quidem ac veſtigio deſignaret, vt nec vnquam, opinor, vellet; quia bellæ artis inuentor, credo, adhibitus in conſilium non fuiſſet; quò tam opportunum ſuggereret, ſibi notum vni & compertum, arcanum.

Hæc ſi videret, ſatis illi eſſe iuſtiſſimè poſſent, vt qualia tam publicè dicuntur à Principe, talia & illi priuatim explorata crederet; bellum ſubinde iuſtum non ambigeret, quod ex iis eſſet indictum; & Catalaniam ex ipſo iuſti belli progreſſu legitimè non ignoraret vendicatam; niſi & quæ deinceps hîc addenda ſunt, ignoraret.

CAPVT QVINTVM.

Quàm parum Theologicè ſimul & politicè, indictum aliunde bellum ad Catalaniam vendicandam ſuffeciſſe non exiſtimet; ac inuerſis veriſſimi effati quo ſufficere ſupponitur, verbis hypotheſim obtrudat odioſam.

VT ignorarit, non auſim de Anteceſſore Theologo ſuſpicari; Vt diſſimularit, vix hîc etiam auſim de profeſſore veritatis iudicare; Vtrinque anceps, malo iudicet Lector; Sed non mirari ſatis poſſim, vt ijs verbis obtruſerit, quibus verè non potuit, quod ad Catalaniam nouis armis ac iuribus vendicandam ſufficere non putauit.

Cur enimuerò id obtrudit, *ſatis eſſe forſan putari ius in armis eſſe Regibus quibuſcunque*? Vt ſubnectat, *id potentiæ magis eſſe quàm iuſtitiæ, & forti forſan ac fœlici Principe dignum, non iuſto*? Quid hoc obtrudit, inquam, vt explodat, quod nemo Chriſtianus dicit; nemo quibus verbis enun- In Monit. ad Lect.

tiat, pronuntiandum credidit; Nemo eo ſenſu, quem verba ſatis præ ſe ferunt, vllis vnquam tēporibus intellexit. Ethnicorum iſtud eſt, vt pro arbitrio licere ſibi putēt, quicquid libet; vt illicitum ſibi bellum nunquam credant, cùm vtilis euentus placet; vt ſuum exiſtiment, quicquid per ſuæ ſortis fortunatius omen vendicare quacunque aleâ, & euentu quocunque potuerint. Quid quòd nec omnium illa mens, qui vel vmbraticis tacitiſque ſymbolis vim æquitati ſubiectam & iuſtitiæ ſignificare voluerint, cùm Ciconiā Sceptro ſupernè incumbentem, accumbentem inferiùs Hippopotamum effinxerunt? Sed hoc Ethnici ſapiant licet, vel tam inſipienter ſibi fingant; Longè aliud Chriſtiani, ſi mente ſapiunt Chriſtianâ; Cur non ita porrò ſapere ſuſpicetur? Vendicari aliena Regibus arbitratu ſuo & quauis occaſione non ſentiunt; etiamſi fœliciores fatis aut & bello fortiores eos eſſe contingat: Non quæuis arma ſufficere ſentiunt, vt ius in iis quomodocunque conſtituant: Non ab vllis exiſtimari ſua poſſe ſentiunt, quæ alienis è manibus quouis modo rapuerunt; Sed vbi iuſtum bellum ſentiunt; quale ſemper, ignoratis etiam cauſis, vel in ancipiti poſitis, ex ipsâ Principis mente ſentire debent; aſſentiuntur vtique fieri Principis, quod ipſa belli æquitas vendicarit: quamuis non aliâ vllâ ſorte, quàm iure bellico comparatum: Atque illud Prophani de Prophano Principe, *Arma tenenti, omnia dat, qui iuſta negat*; vſurpari tum demum à Chriſtianis etiam Regibus poſſe conſentiunt; quaſi iure Gentium conſtitutum inter Principes; & innatæ conſentaneum æquitati.

Lucan. de Cæſare.

Et id quidem omni iure ſancitum; omnium ſenſu conſtans, conſenſuque firmatum; omnium communi vſu receptum & probatum; quis prætermiſſum Anteceſſori non miretur; quod nemo non Theologus doceat; nemo non Iuris interpres commentetur; nemo non Scriptor in eiuſmodi argumento euidenter exhibeat; *Quam fiant capientis, & Principis quidem, ſi ad immobilia pertinent, quæ iuſto bello vendicata ſunt*; qualiacunque illa ſint, licet nullo prius alio titulo vendicata: Quis non miretur ſaltem

poſſe

poſſe ab illo ſubinde bella fingi, vel tam otioſa, vt eorum expugnari propugnacula, Dominiaque non poſſint, quibus indicta ſunt; vel tam pernicioſa, vt reſtitui ſemper habeant, quæ labore tanto quæſita; tanto ſanguine vendicata; tanto ſumptu comparata; tanto periculo parta ſunt; vel tam interdicta Principibus, ac tam anguſtis limitibus definita, vt geri non debeant, niſi vt illa recuperentur ſola, quæ ablata ſunt; & recuperari tamen ſæpiùs eadem opportunè non poſſunt? Quis & iſtud non miretur, illo ipſo Dogmate, quo Catalaniam non ſatis putat quaſi armorum iure, niſi negatâ tranſactione, quæ Galliæ illam ſubduxerit, vendicatam; non eam ſolam Regno, ſed & alia ſimul præripere illum, quæ velut aliena ſemper hactenus agnita, non alio quàm eodem iure bellico Regnum ipſum vendicauit. Politicè-ne illud ſatis Catalaniæ vindex? aut ſatis Theologicè Anteceſſor?

Atqui Theologi longè aliud, ſi legiſſet, admonerent: ſolo ſcilicet belli titulo vendicari, ſi iuſtum eſt, quæ nec antea fuerint vendicantis. Moneret Adrianus, cùm de Reſtitutione tractans, inter caſus quos excipit, hunc ipſum recenſet, quem verſamus: Moneret Ioannes Maior, cùm eandem doctrinam, quaſi communem omnibus, in eodem argumento tradit, nec diſſentit à cœteris: Moneret Alphonſus à Caſtro, cùm *ad bellum iuſtum eâ iuſtitiâ quæ ſolùm excludat obligationem reſtitutionis eorum, quæ in bello ſunt capta, duo ſola neceſſaria eſſe* notat; *Authoritatem ſcilicet ac poteſtatem* Principis *ad bellum faciendum, & cauſam neceſſariam quæ commouere Principem poſſit*, vt indicat faciendum. In 4. de Reſtit §. Aggredior caſus ſpeciales. In 4. diſt. 15. q. 20. Lib. 2. de iuſta hæret punit. c. 14.

Atque vt illos ei Authores obtrudam, quos vel inſtituti ratio commendatiores exhibeat, quid aliud Sylueſter in eâ Summâ quæ Sylueſtrinæ nomine ſtudioſis omnibus tam nota paſſim, ſentit, ſentiendum quæ perſuadet: Quid aliud Anthoninus vtroque ſimul ſanctitatis ac doctrinæ nomine commendatus, & ab iſto præſertim eruditionis genere, quo præſtabat, Anthoninus conſiliorum appellatus, cùm in Summâ Morali docet, quòd *cùm quis habet alias iuſtum bellum contra aliquem, quamuis non ſit iuſtum ex intentione, ſcilicet quia ex odio, & ex animo malignanti facit; licet grauiter peccet*, (propter odium) *tamen de damnis datis & rebus ablatis ad ſatisfactionem non tene-* Verbo, Bellum. 3 part. tit. 4 c. 1. §. 9.

tur? Quid aliud Raymundus, tam ſanctis quoque moribus in ore omnium celeber, & Iuris-Conſultus ac Theologus tam inſignis, cùm in Summâ caſuum Conſcientiæ, quibus potiſſimum explicandis Pontificius Pœnitentiarius & Conſultor excelluit, non ex propriâ mente dumtaxat id aſſerit, ſed ex ipsâ legum ſanctione confirmat? Quid aliud omnium loco S. Thomas; cùm quæpiam reſtituenda excipiens inter illa quæ capta ſunt, *Si illi qui deprædantur hoſtes*, inquit, *habeant bellum iuſtum, ea quæ per violentiam acquirunt, eorum efficiuntur; Et hoc non habet rationem rapinæ; Vnde nec ad reſtitutionem tenentur?*

Lib. 2. tit. de Rapt. § 17.

2. 2. q. 66. art. 8. ad primum.

Iuriſperitos velit, qui accuratiſſimam Iuris vtriuſque interpretationem, & Ciuilis & Canonici tradiderunt? En illi Didacum Couarruuias Archiepiſcopum Toletanum, & Regij apud Hiſpanos Prætorij Præfectum ita hoc ipſum ſtatuentem, vt confidenter *conſtitutiſſimam concluſionem* eſſe dicat: En Andræam Alciatum lib. 8. Conſil. 93. En Andræam alterum Tiraquellum de legibus Connubialibus lib. 1. num. 46. En Martinum Laudenſem Tractatu de bello col. 2. § 4. En Bartolum in l. Si quid in bello, ff. de Capt. Et in l. Hoſtes; En Alex. & Iaſ. & Gloſſas legum vniuerſas; Legeſque ipſas omnes, quas commemorati Scriptores frequentiſſimas proferunt, interpretantur, huc accommodant; vt ex iis conſtare velint, quàm legitimè iure ipſo Gentium noſtra fiant, quæ iure belli ex manibus hoſtium vendicamus.

De Reg. Iuris in 6. part 2. Relect. Peccatum § 11.

Nec Menochium, toties illi aliàs extra rem quoque repetitum, prætermitti oportet; qui Conſil. 701. num. 82. idem ſentit; idem ſecum ſentientes plures alios refert; idem rurſus Conſil. 1003. num. 14. vt planiſſimum compertumque inculcat. Et id illum ſanè cum cœteris inculcantem potuerat vtiliùs aduertiſſe, quàm illius in aliis notationibus arbitrio tam otiosè abuti; vt in momento potiùs, cui iura omnia fauent, & rationes Principis obſecundant, quàm in figmento, quod ſolus ipſe comminiſcitur, tantæ cauſæ defenſionem collocandam putaret; Cùm rurſus, *Iuſto licitoque bello capta effici capientis; & mobilia quidem æquum eſſe militibus aſſignari, ſed immobilia* Principi *cedere*, conſultore illo tam familiari didiciſſet.

CAPVT VLTIMVM.

Quo, veluti reſumptis anterioribus, alia quæque ſummatim pro totius inſtituti coronide perſtringuntur.

NEMO planè, quantum credo, non videat, quàm his momentis prudentiùs, quæ Rex ipſe ſuggeſſit, æquitatem belli, quo Hiſpanienſe Dominium aggredi potuit, perſuaderes; quàm his æquiùs titulis, quos & Hiſpani tractatores agnoſcant, jus poſſeſſionis, quod vendicare ſubinde cœpit, aſſereres: Quàm his veriùs cauſis, quas res geſtæ conſignent, Catalaniam excuſares quòd ſe dediderit; Galliam, quòd ſe dedentem exceperit; non tam vt ſibi vendicaret quaſi ſuam, quàm vt armis contra ipſum ſui hoſtem, quaſi chariſſimam, vindicaret. Nec ijs figmentis totam vindiciarum tuarum cauſam tam incautè ſecurus inſtrûeres, quibus tam apertè conuictis, & LVDOVICVM Iuſtum vſurpationis iniquæ reum; & Galliam ab obſequio illegitimo præſtito ſontem; & Regis ac Regni tanti nomen ignominioſo ſtigmate inurendum; & Catalaniam vtrique, nullis niſi perfidis & injuſtis nominibus, quoad per arbitrium tuum licet, vendicatam oporteat; aut ab ipſo ſuæ deditionis, vt vocas, crimine, nulla defenſione legitimâ vindicatam.

Sed enim, qui Toloſanum Comitem Raymundum, perfidiæ Albigenſis Anteſignanum, ſubindeque publico Eccleſiæ Decreto, Galliâ ipsâ totâ ſuis eum armis execrante, diris deuotum, pene deploras tam incautè, oppreſſumque conquereris; Qui eius iniquiori ſorti non refugis indolere; Qui miſeri Principis aduerſam fortunam appellare non times, quam tantopere condignam illi ſortem pertinax erroris animus ac perduellis accerſerat; Qui PETRVM Aragonium IACOBI Patrem eo ſolo accuſas præter hiſtoriæ veritatem, quòd miſeri Principis Conſanguinei ſui aduersâ fortunâ, rebuſque proſtratis abutens illum oppreſſerit; nec accuſas, vt veriſſimè faceres, quòd eum potiùs defendendum contra Eccleſiæ fidem ac Decreta ſuſceperit; Qui exceptionem illius pro Bearni Domino Vaſſallo ſuo Eccleſiaſticis mulctis notato à te cōfictam, contra ſenſum ipſum Gallicæ pietatis maximi reuera

Pag. 102. & 103.

momenti fuiſſe venditas; Qui nullam in homine cum hære-
Pag. 105. ticis conjurato & eorum apertiſſimo defenſore culpā agnoſ-
cis; Qui PETRVM alterum Aragonium IACOBI filium ob
violatam toties fidem, Duellique conditionem eluſam, diris
Pag 106. à Pontifice deuotum annotaſſe contentus, nihil de illius Re-
gno Gallis conceſſo, nihil de Galliæ in oppugnãdo illo fide,
nihil de PHILIPPI Regis & exercitûs ab illo inſtructi pie-
tate adijciens, ea præteris quæ Regum noſtrorum ac Regni
gloriam tam verè commendent, quàm perfidi hominis pro-
brum, dedecuſque traducant; Qui PHILIPPVM eundem
æternâ ex hoc bello, quantumcunque tranſegerit Pater, cō-
mendatione digniſſimum, in aliquam violatæ fidei ſuſpicio-
nem ob hoc ipſum vocare non dubitas; Qui ſanctiſſimi Re-
gis LVDOVICI ſtoliditati non reformidas aſcribere, quòd à ſe
dimiſerit, quæ ſua ſic putauit, vt & ſuſpicari potuerit aliena:
pietati exprobare non metuis, quòd priùs aliena vendicaue-
rit, quæ præſumere potuit ſua; eripere gloriæ non detrectas,
quòd pacem tranſactione firmauerit, quam exiſtimare po-
Pag. 108. tuit nullo meliùs modo conciliandam, nullo firmiùs nodo
ſtringendam, nullo ſtabiliendam ſecuriùs fundamento; Qui
affingere interim illi alibi non vereris, quòd Raymundum al-
terum, præfati Raymundi filium, in ſuas iam terras ob reſipiſ-
centiam reſtitutum, in ea pacta adegerit, quæ vix alius à ca-
ptiuo hoſte extorſit; maximâque ditionis ſuæ parte mulcta-
uerit, qnam tamen deſponſo fratris Alphonſi cum Raymun-
di filiâ matrimonio vendicauit; Qui hæc, inquam, omnia ef-
futire tam audenter aut incautè potueris, Quid mirum vt &
Catalaniam neges legitimâ vllâ causâ LVDOVICO Iuſto
vendicatam, niſi S. LVDOVICI tranſactio tanquam fal-
ſa reijcienda ſit, quam recipiunt omnes, & figmentum reci-
pi tanquam verum debeat, quod explodunt?

Scilicet ſe talem nobis vindicem Cadurcenſis debuit An-
teceſſor, & Regum ac Regni defenſorem: Qui ſi conſultum
ſibi cautiùs velit, aut ea deinceps excutiet accuratiùs, quæ
publica faciat, vt ſcribat veriùs; aut ab eo ſibi pruritu tempe-
rabit, ne quid erret negligentiùs; Dum Gallia viderit, an tam
infœlicem ſuæ cauſæ Patronum habere poſthac ſuis in re-
bus loquentem mauelit, an tacentem.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google